

ANNALES

ACADEMICI.

CIↃIↃCCCLXII—CIↃIↃCCCLXIII.


LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1866.








Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.


ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.



ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.



ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

1

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. VIII FEBR. A. CIↃIↃCCCLXII AD D. IX FEBR. A. CIↃIↃCCCLXIII

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

PETRUS LEONARDUS RYKE.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

IOANNES IACOBUS PRINS.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

P. L. RYKE.
I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM.
F. KAISER.
W. F. R. SURINGAR.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BAKE, rude donatus.
I. M. SCHRANT, rude donatus.
A. RUTGERS.
I. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY.
M. DE VRIES.
I. G. HULLEMAN, fato functus d. 29 Maii.
R. FRUIN.
W. G. PLUYGERS, munus auspicatus d. 19 Sept.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN, rude donatus m. Sept.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS.
H. I. HALBERTSMA.
I. M. SCHRANT, munus auspicatus d. 17 Octobris.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. G. TYDEMAN, rude donatus.
H. COCK.
I. DE WAL.
S. VISSERING.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. E. GOUDSMIT.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, rude donatus.
I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
I. I. PRINS.
L. G. E. RAUWENHOFF, Prof. extraord.

I. I. P. HOFFMANN, titulo Prof. ord. ornatus.
P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord. ornatus.

I. A. BOOGAARD, Prosector in Theatro anatomico.
W. KOSTER, Prosector in Theatro anatomico.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Litt. Germ.
P. DE JONG, Lector Litt. Pers. et Turc. et Adiutor Interpretis Legati Warneriani.
L. C. LEVOIR, in Museo physico Adiutor.
R. S. TJADEN MODDERMAN, in Museo chymico Adiutor.
N. M. KAM, Observator astron.
M. I. DE GOEJE, Adiutor Interpretis Legati Warneriani alter.

ORATIO

DE

CAUSIS, QUIBUS EFFECTUM SIT, UT STUDIUM DISCIPLINARUM PHYSICARUM HAC NOSTRA AETATE TANTOS FECERIT PROGRESSUS,

QUAM HABUIT

PETRUS LEONARDUS RYKE,

DIE IX FEBRUARII CIƆIƆCCCLXIII,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES, QUOTQUOT AD SOLEMNIA HAEC CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI.

Vix quemquam vestrum esse arbitror, Auditores, quin legerit aliquando aureum illum CICERONIS libellum, quo et se ipsum et amicum suum fere aequalem, aut iam urgentis aut certe adventantis senectutis onere levare conatus est. Quod argumentum si nostra aetate explicaret eloquentiae romanae princeps, senex ad senem scribens, non dubium est, quin quod verbo tantum attigit, pluribus expositurus esset de senectute vidente multa quae videre vult. Quid? aut ego fallor, aut certe locutus esset de innumeris, quae hac nostra aetate facta sunt, artium doctrinarumque incrementis deque infinito numero eorum, quae ingenii humani sagacitas in rerum natura aut recens invenit, aut dudum inventa nunc demum planius intelligere coepit; ex quorum omnium ratione quis est qui non videat facillime posse explicari, quam praeclara conditione a Supremo Deo generatus sit homo. Equidem certe felicem me praedicare soleo, qui dicere possim: mea aetate inventum est, ut vasta illa navigia, in aedificiorum modum extructa, adversis fluctibus ventisque, paucis diebus ad alteram Oceani oram perferantur; mea aetate inventum est, ut ferro ordine disposito omnes Europae partes et divitibus et pauperioribus brevissimo tempore percurrere liceat; mea aetate inventum est, ut ea, quae tantum luminis velocitatem non superet, celeritate ad ultimum terrarum orbem verba nostra perduci possint. Sunt etiam alia: nostra enim aetate inventum est, ut operatio in corpore vivo, quae olim non nisi intolerabili dolore perfici poterat, nunc sine ullo fere aegrotantis gemitu perficiatur; nostra aetate inventum est, ut rerum imagines ita excipiantur exceptaeque serventur, ut a sera posteritate conspici possint; nostra aetate inventum est, ut qui a coelestibus corporibus lucis radii exeunt non frustra interrogentur de na-

tura chemica corporum, a quibus emittuntur. Quid plura? Unum addam, quo vix maius quidquam excogitari posse videtur: nostra aetate inventum est, ut ventorum tempestatum vis interrogata unde veniat quove itura sit, percunctatorem non frustretur.

Quae omnia tantae utilitatis tantique commodi sunt inventa ingenii humani, ut vel imperitissimus quisque iure suo cum poeta exclamet:

Prisca iuvent alios; ego me nunc denique natum
Gratulor;

qui autem aliquanto peritiores sunt, animum advertere cogantur, quam mirificos et vere stupendos, hac nostra aetate, in hoc quidem doctrinae genere, progressus ingenium humanum fecerit.

Quae quum ita sint, vix mirum videri poterit, si quaeratur, *quae causae sint, quod, praesertim in physicis studiis, tanti facti sunt progressus in hac seculi, quod vivimus, parte priori*, quantos in nullo reliquarum disciplinarum genere factos esse una omnium vox est consentiens. Ad quam quaestionem dum hac hora pro viribus respondere conabor, humanissime vos rogatos esse velim, Auditores, ut benevole me audire velitis.

Causas igitur mihi cogitanti, quae effecerint, ut studium disciplinarum mathematicarum ac physicarum longe maiores, quam quodvis aliud studium, progressus fecerit, prima quidem haec sese nobis offert causa, quod qui has disciplinas excolebant, non eam tribuerint Graecorum Romanorumque eruditioni auctoritatem, quae aliarum disciplinarum cultores eo perduxit, ut quemvis frustra laborare censerent, qui veteres illos populos in ullo artium scientiarumve genere — non dicam superari — sed vel aequiparari posse arbitraretur. Nec sane, quod ex historia novimus, post renatas in Italia litteras, mathematici et physici eo se abduci pati poterant, quo reliquorum fere cogitationes perductas esse constat. Viguerant enim dudum in Italia naturae rerumque naturalium studia, quae ab Arabibus, qui Hispaniam Siciliamque incolebant, excitata erant, atque commercio quod Itali habebant cum incolis longe distantis Orientis promovebantur. Simul enim atque veterum scripta investigare coeperunt naturae exploratores, mox viderunt non solum nihil omnino inde hauriri posse, quod nescirent, sed rerum perspexerunt etiam plurimas esse, quae ea aetate melius noscerentur quam

veteres isti novissent unquam. Quidquid porro laboratum est, ut iugum Aristotelicum toleraremus, excussimus istud tandem, et ita excussimus ut, qui vel maxime praeiudicata opinione obsessus est, non possit non confiteri ingenium humanum nec tempori nec loco esse ligatum. Qua de re si quis dubitet, testem citamus historiam proximorum seculorum, in quorum remotissimo principatum in rebus mathematicis et physicis GALILEUS obtinuerunt et CARTESIUS, quorum hunc e Gallia, illum ex Italia ortum esse novimus; in altero deinde, quod gloriari nobis licet, principem locum tenuit HUGENIUS nostras, mox Anglus ille clarissimus NEWTONUS; in nostro seculo palmam reliquis praeripuit LAPLACIUS Gallus, quae postremum cessit GAUSSIO natione Germano.

Quae autem plurimum hac in re valuisse censenda est, in eo versari videtur caussa, quod, qui naturam sibi explorandam sumserunt, veram continuo secuti sint explorandi methodum. Non negamus quidem a principibus illis, quos modo nominavi, viris quaedam fuisse destruenda et abiicienda, quae a superioribus exstructa erant; nihilo tamen minus singulorum fere labores eiusmodi fuisse videmus, ut quisque quae superiores inchoaverunt persequi posset, et, quae aut tacta modo aut imperfecta relicta erant, magis magisque perficere valeret, exhaurire non valeret. Quod sane non mirum videatur. Animus enim hominis, qnamquam ita creatus est, ut inquirere multa et inquisita intelligere possit, quomodo in secreta, quae a Supremo Numine facta sunt, opera ita penetret, ut ea omnibus omnino partibus sibi habeat explicata? Hoc ipsum autem omnibus rerum naturalium exploratoribus erit incitamentum, quo non maius esse crediderim, quod persuasum sibi habeant nullum locum in eorum disciplina posse omnino exhaustum esse, superiorum exploratorum neminem non potuisse errare, eorumque errores a quovis posse detegi, habeat modo ad manum instrumenta, quibus illi caruerunt. Quam persuasionem equidem hoc magnopere effecisse arbitror, ut tot et tantos videamus progressus nostra aetate factos. Non enim necesse erit monere quemvis exploratorem, qui sua habeat de rerum natura placita, nihil magis cupere quam sive aequalibus sive posteritati explanare ea veritati esse consentanea. Hoc autem vix aliter fieri potest quam explorando, an quod ex placitis concluditur, experientiae consentaneum sit, id est, ipsam naturam interrogando. In quibus interrogationibus, quod

sanequam memorabile est, si fructus speratos inde percipere velis, non opus erit ut divinatione rei ducaris latentis quam ante te nemo suspicabatur, imo non multum nocebit, si vel a falsa hypothesi initium duxeris; pariter modo auscultes et *omnia* auscultes quae natura respondeat. Non audies fortasse quidem ea quae cognoscere cupieras praedicantem naturam, sed tamen praedicabit aliquid, quod, si sine praeiudicio excipias, viam monstrabit ad rem abditam et occultam, quae nec tibi nec cuiquam alii ante venerat in mentem. Responsa, quae natura dat, sunt quidem brevissima, sed simul verissima. Fingamus nobis hominem aliquem, cui, quum rem silendam sibi commissam servet, ad omnes tamen quaestiones ipsi propositas, absque mendaciis respondendum sit; num putas te diu de illa re fore incertum?

Quod modo dixi, naturam interrogatam non semper respondere id quod explorator exspectaverat, sed contra ostendere aliquid inopinatum, quod moneat exploratorem de alia re, quam, eodem tramite pergens, mox inventurus sit, huius rei multa afferri possunt exempla, sed non facile evidentius afferetur quidquam, quam quod accidit celeberrimo FARADAYO. Hic enim, qui de natura electricitatis suam sibi finxerat theoriam, multis partibus a vulgari opinione diversam, inter alia suspicatus erat non aliter fieri posse, quin si fluxus electricus per filum metalli flueret, aliud metalli filum, in propinquitate positum, eiusdem fluxus vim experiretur. Cuius rei quum nullum etiam tum apparuisset indicium, in explorando non cessavit. Primi conatus omnino fuerant irriti, et ne tum quidem, quum experimenta per longe maiores apparatus quam qui ante fuerant adhibiti repeterentur, ullum eventum habuit exploratio. Igitur nequaquam vidit quod se visurum esse exspectaverat. Contra vidit quod non exspectaverat. Quo enim temporis puncto fluxus per filum fluere coepit, paululum deflectere vidit acus in instrumentis, quibus utebatur, quem eundem motum observavit quo temporis puncto fluxus in filo desinebat, per medium autem, inter duo illa puncta, temporis spatium nullus omnino motus observabatur. Unusquisque physicus, ingenio medius, sine dubio eo tantum advertisset animum, utrum id quod exspectaverat accideret necne; parvas illas, forte fortuna observatas, et incipiente et cessante fluxu, deflectiones omnino neglexisset, utpote ex caussa fortuita ortas. Non ita egit ille, qui princeps

futurus erat aevi sui physicus. Deflectiones enim illae, quantumvis exiguae, ita omnem animum quasi tenuerunt occupatum, ut mox persentisceret se ad ingressum pervenisse viae, quae ad regionem duceret nemini adhuc cognitam. Et revera ita erat. Post aliquantum temporis in lucem prodiit disputatio illa maxime memorabilis, in qua inventum fluxuum inductorum, ut dicuntur, cum erudito orbe communicatum est, quod unum inventum tantum esse censetur, ut peritissimus Anglus, etiamsi nihil aliud praestitisset, nomen suum ad seram posteritatem perducturus fuisset.

In caussis porro, quae effecerunt, ut, nostra aetate, tam multa ante incognita protulerit physicarum rerum studium, non ultimam hanc esse censeo, quod plures quam olim sunt, qui, veritatis investigationem longe praeponentes proprio commodo, non dubitent ab iis dissentire, qui apud vulgus principes scientiae antistites habentur. Novimus enim — nec sane sine dolore novimus — istos homines, qui ita solent iudicare non peius facinus posse committi quam si quis, non dicam refutare eos conetur, sed eorum opiniones sequi nolit. Me quidem miseret physici, qui certae addictus sit sectae. Nam si in ea qui dominatur magister efficiet, ut quidquid honoris et gratiae et commodi percipi licet, abunde ad eum defluat; at nomen eius ut aut extra patriam aut ad nepotum memoriam propagetur, non efficiet. Quod sane non mirum videatur; si enim quidquid maxime esset memorabile in ea parte, quam magister prae reliquis dilexerat, is ipse facili negotio occuparit, quid relinquetur iis, quibus schola erit continuanda? — Qui autem libenter et otium suum et laborem impendat, ut sua ipse inventa perficiat et absolvat, quomodo eum adigere possis, ut eandem operam inventis alienis praestet? Quod si argumento probatum cupiatis, velim in mentem vobis vocetis gentis illius, quam novimus plurima et maxima in physicis detexisse, Anglos dico; apud quos neque sectae sunt et sine invidia unusquisque suus et proprius esse potest.

Sed ubi sermo est de Anglis, non meminisse non possumus singularis cuiusdam rei, quam aetati nostrae propriam, apud ipsos multo magis quam apud quemquam alium populum animadvertere licet. Ibi enim, quod multi aegerrime ferre solent, multos esse novimus, qui scientiam excolere instituant non ante praeparati studiis, quibus non impune quis carere posse putatur. Fateor equidem libenter esse partes disci-

plinae, quae nullius animo comprehendi possint, nisi qui in sublimiorem partem disciplinarum mathematicarum penetravit; et nihilominus tamen concedendum esse contendo alias partes esse, quarum aditus etiam iis naturae scrutatoribus pateat, qui longe absunt a perfecta et omnibus numeris absoluta rerum mathematicarum cognitione. Possum nominare physicos, qui, si examini se subiicerent pro gradu candidati, a Facultate nostra non admitterentur propter ignorantiam rei mathematicae, quorum tamen nomina a grata posteritate celebrabuntur iuxta nomina NEWTONI et HUGENII. Quapropter equidem me unum ex iis haberi velim, qui vim productivam, quae dicitur, praeferant laudatissimae doctrinae, praesertim si haec tum demum acquiratur, ubi illa neglecta sit.

Nolim tamen hanc opinionem amplexus, quae vulgari opinioni contraria est, in eos iniquus esse, qui in studia scientiae incubuere a pueritia et saepe ad amplificandam doctrinam minus conferunt quam qui maturiori aetate se ad haec studia contulerunt. Neque enim obliviscendum est illos, bonorum externorum plerumque expertes, ut plurimum cogi, ut munus aliquod in societate civili exoptent, quo victum sibi quaerant, sed cuius occupationes vix sinunt ulla, quibus disciplina amplificetur, facere experimenta; hos vero, qui solent otio frui exoptatissimo, nulla re impediri, quominus se totos tradere possint studiis.

Ad augendam autem naturae cognitionem vix dici potest, quantum contulerit frequens illa quae practicos homines et theoreticos nostra aetate intercessit consuetudo; quantumque observatio rei, identidem apparentis in operatione artificiosa, physicorum oculos quasi aperuerit. Quare si physici tantum profecerint, ut sua persona non indignum iudicaverint, intermissis explorationibus, in eorum officinas ingredi, qui naturae vires adhibent ad fabricandum, quae ad vitam necessaria sunt, quanto plus eos profecisse censemus, qui ipsam naturam adierint? In huius enim theatro non solum maiora licet observare quam in nostris laboratoriis, sed etiam longe plura, quae in iis aut negligebantur aut omnino non apparebant, aditum tamen aperire poterunt ad maximarum rerum inventionem. Spectat hoc praesertim ad observationes, quae factae sunt in studiis Meteorologiae et Geographiae physicae. Quantopere enim cognitionem suam amplificare liceat physico, cui quotannis, urbe relicta, naturae theatrum ingredi liceat, eiusque amplitudi-

nem contemplari, quique observare valeat et in eo quae observavit penetrare, ipsa proximorum dierum docuit historia. Res scilicet est notissima Anglos inprimis oblectari natura Alpium, tantoque magis oblectari, quo maiora sunt pericula, quae minantur iis, qui in summa adscendunt montium cacumina, aeterna nive et glacie contecta. Nuperrime etiam Londini instituta est societas, cuius socii hoc sibi proposuerunt, ut aestate per suas quisque ferias visitent altissimas eorum montium partes, hieme autem inter se communicent quae in iis peregrinationibus videre contigerit. Inter diligentissimos socios numeratur, qui unus est e praeclarissimis, quos Anglia nunc habet physicos, quem nec pericula quibus circumdatur nec amoenissima spectacula naturae quibus oblectatur, eo ducere valent, ut obliviscatur, quid vel in his locis physicarum rerum studium possit lucrari. Prae omnibus aliis rebus vir egregius animadversione dignum censuit, quid esset quo immensi illi campi glaciales, quos nix format in montibus, paullatim in massas compacti, deferantur in valles. Non dubium esse poterat, quin radii solis magnam vim exerceant, ubi in glaciem istam deciderint, nec minus manifestum erat, quid tribuendum sit radiis caloris qui vicissim noctu e glacie emittantur. Restabat autem quaestio, quam vim in utrumque radiorum genus exercerent aër et aquae vapor. Ad hanc ut responderet TYNDALLIUS, longissimam instituit experimentorum seriem, quae ad eventus duxerunt minime exspectatos. E quibus unum nominasse sufficiat; demonstravit enim odorem, quem flores emittunt, ipsis floribus esse quasi pallium contra frigus nocturnum.

Sed aut turpiter ingrati simus aut confiteamur necesse est, progressus, qui in rebus physicis facti sunt, magnam partem tribuendos esse meliori, ad quam mechanica practica hoc tempore perducta est, conditioni. Notissimum est, quam incredibili celeritate lux propagetur, cui quidem ad tantum spatium, quantus est totius terrae circuitus, percurrendum sufficiat vel octava pars particulae horae, quae secunda vocatur. Haec autem stupenda celeritas non mirum est quod effecerit, ut satis diu opinati sint homines, eam omnino non posse definiri in spatio, quod planeta quem habitamus suppeditaret, sed spatium, ad quod referretur quaerendum esse in Universo. Paucis ego abhinc annis Parisiis quum essem, interfui conventui Academiae Scientiarum, in quo audivi celeberrimum ARAGONEM referentem

de invento physici nomine FIZEAU. Huic scilicet contigisse dicebat definire temporis *particulam*, qua luci opus sit ad percurrendum spatium, quod duobus fere horis percurri solet ab homine; addebatque ARAGO eam, quae per huius egregii physici experimenta observata esset, velocitatem non multum differre ab ea, quam Astronomi per explorationes suas dudum invenissent. Nolo equidem diffiteri parum mihi eo tempore placuisse eam relationem, quae me non multo doctiorem fecisset; contra veró opinabar physicum illum melius fuisse facturum, si ingenii sui aciem, quae sanequam ei detrahi non poterat, ad alias partes adhibere voluisset. Quid enim est invita Minerva aliquid agere, nisi hoc est, si physicus per suam disciplinam imperfecte definire conetur, quod ab Astronomis multo accuratius definitum est? Ecce autem vix quatuordecim praeterierant anni, quum eandem illam velocitatem a FOUCAULTIO physica arte tam accurate definitam videremus, ut harum rerum periti fateantur mensuram ab eo inventam plus fidei mereri quam quae aliunde cognita esset. Et hic observare licet, quam arcte omnes partes disciplinarum physicarum cohaereant. Quod si enim tantam fidem mereatur mensura a FOUCAULTIO inventa, eadem quoque adhibenda est ad definiendam velocitatem terrae eiusque ad reliquarum planetarum a sole distantiam; quod si fiat FOUCAULTIUS dicendus sit coelestium corporum distantias in suo laboratorio definivisse. Haec autem res quanti laboris fuerit, tum demum poterit intelligi, si dixero FOUCAULTIUM, auxiliis utentem mechanici egregii FROMENTI, duodecim annos impendisse, ut tam subtilia redderet instrumenta sua, ut minutissimam illam metiri posset temporis particulam, qua lux percurrit spatium viginti ulnarum, quae particula vel minor est quam cuiusmodi centies quinquagies mille millesimam partem secundae constituunt.

Instrumentorum autem compositio in dies perfectior et intricatior quae multorum admirationem excitat, eadem multis quoque magnum movet taedium. Non cuivis homini scilicet contingit habitare Parisiis, et quam pauci sunt, quibus res domestica permittat tantos sumtus impendere ad comparanda sibi instrumenta pretiosissima? Non raro igitur fit, ut peritissimus physicus, qui non est in illo beatorum numero, a multis explorationibus abstinere cogatur, praesertim iis quae spectant ad leges, quibus quantitates rerum circumscribuntur. Sed est sane quod gaudeamus,

quod ne his quidem, quibus fortuna fuit infaustior, omne physicarum rerum studium interdictum sit. Sunt enim in hac disciplina innumerabiles quaestiones, ad quas solvendas instrumenta perfectiora non modo non necessaria sint, sed vel noxia esse videantur. Noxia, inquam; neque enim physicus, quemadmodum astronomus, unam solam habet vim naturae contemplandam. Quae enim ab illo explorantur saepe, vel potius dicam semper, pluribus simul subiecta sunt naturae viribus. Quae si cognitae sunt, earum ratio haberi potest; si autem ignorantur, haberi non poterit. Si omnes illae vires aeque pollent, physicus cogetur de solvenda quaestione desistere aliamque faustiorem tempestatem exspectare. Melius igitur res sese habebit, si una prae reliquis naturae vis primas agat partes, saltem si instrumentum adsit quo eius effectum liceat metiri. Attamen in plerisque quaestionibus etiam reliquae vires effectum exercebunt in instrumentum, qui scilicet tanto maior erit, quo maiori subtilitate instrumentum est fabricatum. Crescit autem interea difficultas discernendi, quid sit primarium. quid accessorium; quae difficultas ut quantum fieri possit tollatur, hoc ipsum est ad quod tendere physicorum est.

Praeter hanc autem quam dixi causam, aliud etiam est, quod in experimentis physicis monere videtur, ne perfectiora quam natura experimentorum requirat, adhibeantur instrumenta. Quo enim perfectiora haec sunt, eo plus temporis requirunt experimenta ipsa et necessariae correctiones. Percurre, quaeso, disputationes a IOULEO editas, in quibus probavit legem, quae declarat vim non posse consumi: non dubito, quin hic illic miraturus sis, quod scriptor methodum secutus sit iusto imperfectiorem, nec omnes omnino adhibuerit cautelas, quae ipsum ad meliora perducere potuissent. Quodsi tamen meminisse velis has explorationes per se certis obnoxias esse erroribus, mox fateberis, ni fallor, haud immerito neglecta esse perfectiora instrumenta, quae multo plus requisivissent et temporis et laboris idque absque memorabili fructu. Nisi autem usus esset instrumentis, quae rationi operis suscepti sufficerent, numquam consecutus esset IOULEUS, ut nomen suum inter principes nostrae aetatis exploratores vindicaret.

Saepissime vos audivisse opinor, Auditores, qui dicerent, nihil esse infelicius, quam vivere quo tempore nihil certum et stabile sit. Quod

effatum tamen vel in politicis haud scio an satis valeat. In physicis certe nullo tempore tam multa detecta sunt in veramque lucem protracta, quam eo quod tempus transitionis appellari solet. Meministis profecto omnes opticam, in prima huius seculi parte, magnam subiisse commutationem, quae, cum per centum fere annos systema Newtonianum viguisset, tandem demonstravit theoriam quam HUGENIUS nostras docuisset. Hoc igitur transitionis tempus quam ferax in hac parte physices fuit inventionum! Quarum quam ceteris praestantiorem dixeris merito videtur dubitandum. Nunc autem quantopere languet ea pars physices! Hoc autem vix aliter fieri potuisse videtur. Nunc enim omnes physici consentiunt in explicanda natura lucis; quam quum nemo non sibi videatur novisse cuiusmodi sit, omnem pugnam plane desiisse videmus. Quod tamen non ita intellectum velim, quasi exhausta sit ista materia; in qua quam multa etiam nunc restent addiscenda docuerunt STOKES, BUNSEN, KIRCHHOFF, alii. Desideratur autem illud nescio quid quo cunctorum animi excitentur et quasi commoveantur; desideratur abdita illa vis, quae uniuscuiusque mentem reddat feracem simulque doceat in aliorum effata penetrare in iisque thesauros detegere, quos ipse, a quo profecta sunt, ne suspicari quidem potuerit.

Quae autem ineunte hoc seculo observata sunt in Optica, eadem nunc fere repetuntur in systemate Caloris et Electricitatis. Neminem vestrum censeo tam ignarum esse rerum physicarum, quin intelligat quid sibi velint nomina fluidum caloricum et fluidum electricum. Si quis enim, vehementia frigoris correptus, ad focum accesserit laetissimis ignibus ardentem, et mox senserit membra sua quae fere mortua viderentur, quasi reviviscere et iucundissime affici, iam nemo dubitabit, quin illius commutationis causa tribuenda sit fluido calorico. Neque hoc magis notum est quam alterum illud fluidum electricum. Roges modo quemcunque tibi licuerit, qui fiat, ut, si hic deprimas umbilicum, continuo motum excites in apparatu, qui sexcentis horis abhinc positus est, nemo non respondebit umbilicum hic depressum emisisse certam quandam quantitatem fluidi electrici, quod vim suam exerceat in apparatum quantumvis longe distantem. Attamen fluidum caloricum, nec minus, si quid video, etiam fluidum electricum, brevi fortasse aeque ac vortices CARTESII et phlogiston STAHLII, non ma-

ioris momenti erunt, quam veneranda monumenta temporis praeteriti, cuius nil nisi memoria restat. Sunt quidem qui ostendere certant esse quaedam quae partim ex his theoriis non possint explicari, partim iis adversa fronte repugnent. Quod certamen eo vehementius est, quod explosae dudum theoriae nova theoria successit, quae quo magis involucris suis nudatur tamquam unica et vera prodibit explicatio Caloris et Electricitatis quam omnes agnoscent. Haec theoria omnia explicare vult e motu. Qui motus tamen non est quem vulgus hoc nomine intelligit, qui sub oculorum obtutu cadit, sed ille subtilior, quem et parvae moleculae, ex quibus omnia corpora composita sunt, sentiunt et partes aethereae, quae ubique adsunt et totum mundi spatium complent. Ipsum nomen, quod, auctore NEWTONIO, huic Caloris et Electricitatis causae tribuere possumus, iam indicat propius nos a veritate abfuturos, si vim Caloris et Electricitatis explicemus e motibus oscillantibus, quam si singularia quaedam fluida adesse statuamus. Ex huius enim sententia causa tum demum *vera causa* dicenda est, si experientia doceat eam revera phaenomena physica efficere posse. Si quidquam est quod mereatur pro indubitato haberi, certe hoc erit, si dicas Sonitum effici per vibramina; verum dibitabitis fortasse, si audias Lucem non minus quam Sonitum adscribendam esse vibrationi. Et tamen hoc ipsum iam adeo probabile factum est, ut pro certo haberi possit. Quae res profecto maximi habenda est; nam si vere dicitur *Simplex sigillum veri*, quid simplicius erit quam quae in singulis alicuius disciplinae partibus sese ostendunt, ea omnia eidem generi motus adscribere!

Novum hoc de natura Caloris et Electricitatis quod memoravi decretum coniunctissimum est cum lege naturali quam in dies magis magisque vigere videmus, quamque multos annos fere unusquisque physicus quasi praesentire sibi videbatur, sed quae his demum annis proximis plane intellecta est. Variis modis ea enuntiari potest. Aeque enim valet quidquid dicis: Vim non posse consumi — vim non posse produci ab homine — perpetuum mobile non posse inveniri.

Vereor quidem, Auditores, ne haec verba absurda videantur iis qui physicarum rerum studium numquam attigerunt. Dicent enim: Quid? negabis in manibus meis inesse facultatem premendi, easque nec molem posse

3

movere, nec quidquam per se ipsas efficere? Revera hoc nego, Auditores. Nam pendet quidem a voluntate nostra utrum vis applicatur necne, sed ipsa voluntas non valet efficere laborem. Labor scilicet, quem corpus nostrum pro voluntate aut facere potest aut non facere, unice pendet a permutationibus chemicis, quas subeunt alimenta nostra. Aufer illa alimenta et brevi videbis quid de labore fiat, vel potius nihil fieri videbis.

Quod modo dixi Vim non posse consumi, quivis facile intelliget, qui noverit eam vim, quae consumta videatur, continuo in aliam vim eiusdem quantitatis transire. Cuius rei rationem qui non probe noverit dicet fortasse: en molem illam adspice aheneam, ab hoc ipso, ut videtur, nomen adeptum, quod alia corpora loco moveat, molem illam quae longam seriem plaustrorum secum trahit, ipsa magis volans quam currens, nonne illa moles vim consumit? quid igitur pro carbonibus istis reddit quod denuo eandem vim efficere possit? Qui sic loquatur, vereor ne me non intellexerit, Auditores. Dixi tantummodo vim non posse deleri; non dixi, vim non ita posse transferri, ut, si translata sit, ea denuo uti possimus. Sed redeamus ad plaustra illa volantia. Quae caussa est quod ea carere non possint vi quadam continua? Quid aliud nisi quod aër propellendus est, quod tritura superanda? Recte quidem; sed ex illa tritura nonne calor excitatur, et aër ille propulsus nonne movetur? Certissime; quamobrem etiam calor ille et aër ille motus, si modo sciremus adhibere, novam operam praestare possent. Quid autem aër motus efficere possit quotidie videmus in molis.

At quid hic commemorasti perpetuum illud mobile? Num igitur nostra demum aetate probatum est id non posse reperiri?

Constat quidem, Auditores, e certa quadam quantitate vis impellentis cuiuscunquemodi sit quod adhibeatur instrumentum, non nisi certam quantitatem operae posse produci. Nemo tamen adhuc probavit, nec probabit unquam, opinor, non posse excogitari instrumentum, quo vis producatur perpetuo impellens. Contra vero; si effectus electricitatis Voltaicae unice adscribendus sit contactui, quod olim vulgo credebatur, quodque nunc etiam sunt qui contendant, multum abest ut censeamus perpetuum mobile non posse esse nisi falsum opinionis commentum. Etenim ad hanc rem nihil aliud opus erit, nisi ut inveniatur materia quaedam

fluida, quae electricitatem perducat, quaeque non sit metallica, nec chemice decomponatur. Et tamen unusquisque physicus persuasum sibi habet perpetuum mobile nunquam repertum iri. Unde autem illa oritur persuasio? Quod non potest cogitari posse aliquid produci ex nihilo? Libenter fateor me unum ex iis esse qui contendunt quod ne cogitari quidem possit, id in rerum natura non posse existere. Sed, ubi dicimus, ex nihilo nihil posse produci, tum cogitamus materiam; num ergo idem valet de motu? motus non est materia. Caveamus, Auditores, ne ibi demonstrationem quaeramus perpetuum mobile non posse inveniri, ubi demonstratio non quaerenda est. Ea scilicet ex nobismet ipsis petenda est; scimus utique quam imperfecta natura simus homines, qui, si motum ex nihilo creare possemus, confestim Deo pares esse inciperemus. Nunc quidem nemo facile dixerit quantum volvendis seculis homo valiturus sit in rerum natura efficere; sed hoc tamen est certissimum, facultatem creandi nunquam datum iri hominibus.

Vix dubium est quin proximis annis qui ex hoc seculo supersunt, explorationes plurimorum physicorum in eo versaturae sint ut undique conquirant quae necessaria sint ad iudicandum quale sit genus motus cui cum Electricitatis, tum Caloris origo attribuenda sit. Ad quam quaestionem ubi satis superque responsum fuerit nonne relinquetur studium physices tamquam perfectum et absolutum?

Non negaverim equidem fieri posse ut tunc physicarum rerum studium per aliquot annos intermittatur; sed mox, idem facturum iri vaticinor, quod in aliis disciplinis factum esse docet historia. Astronomiae enim studium, ut hoc exemplo utar num illud excoli desiit, quum NEWTONUS motum corporum coelestium rite explicuisset. Num in Chemiae studio cessatum est, a quo tempore LAVOISIERUS omnes expulisset falsas hypotheses, pro iisque substituisset decreta nobilissima, quibus nunc etiam honos habetur? Imo vero utrumque illud studium tantum abest ut, orta illa luce clarissima, cessaverit, ut continuo et longe plura et longe maiora ceperit incrementa. Idem igitur quin Physices studio evenire possit, quis est qui neget? Quodsi enim aliquando detectum fuerit cuinam motui Calorem, cuinam Electricitatem adscribi oporteat; vel tum etiam restabit quaerendum quemadmodum illi motus mutandi et transformandi

sint ut id efficiant quod effici videamus. Numero enim quantumlibet parvo sint vires, quae in rerum natura operentur, eorum quae operentur varietas est infinita.

Transeo ad alteram orationis partem qua enarranda sunt, quae, me Rectore, Academiae nostrae acciderunt, in quibus quamquam multa sunt, quae merito suo lugemus diuque lugebimus, plurima tamen etiam sunt, quibus et ad grati animi sensum et ad laetitiam nos excitari oportet.

Ad vestrúm igitur ordinem me convertens, Viri Amplissimi, Academiae Curatores, libentissime primum omnium te salutatum volo, Illustrissime VAN DER HEIM, cui, Senatus quoque nomine, gratias quam maximas ago, quod hoc ipso anno ostenderis denuo, quantopere Academia nostra tibi sit in deliciis. Quum enim propter ingravescentem senectutem decrevisses magistratum deponere, qui in hac provincia summus est, non sine caussa timor nobis incesserat, ne propter eandem caussam etiam abdicaturus fuisses munere Curatoris. Quem tamen timorem quum vanum esse audiremus, vix dici potest quantopere laetati simus, quum videremus neminem esse, quin suo pretio aestimaret ea, quae a te facta sunt in gravissimo illo munere quod tam multos annos cum omnium admiratione gesseras. Nec enim Regi Augustissimo tantum placuit ornare te titulo, qui vel ultimos nepotum nepotes poterit admonere, quae et quanta tua fuerint in patriam merita, sed Ordines Provinciales in te detulerunt mandatum, quod ab iis mandari poterat gravissimum, ut in Camera Prima consilio atque prudentia tua saluti patriae prospiceres.

Te autem, Amplissime PHILIPSE, quanti aestimaret, quantumque facta tua et consilia comprobet Rex dilectissimus, denuo apparuit ex honore nuper in te delato, quem tibi ex animo gratulamur.

In vestro autem ordine, Viri Amplissimi, non sine doloris sensu locum videmus vacuum, quem nuperrime occupaverat ille, quo quidem non facile quisquam dignior fuerat, qui LUZACIO succederet. Locum hunc scilicet reliquit Nobilissimus VAN BYLANDT, qui quamquam brevi tantum tempore vobiscum fuit, vel sic tamen optime meritus est de Academia Lugduno-

Batava, in qua curandan, non mius quam ante in aliis rebus gravissimis, honorem sibi conciliavit virtute sua dignum. Haec autem ipsa virtus quum effecerit ut Rex Augustissimus BYLANDTIUM in supremo reipublicae consilio eligere decrevisset, recte quidem laetati sumus hoc ipso decreto, sed ita laetati sumus ut simul doleamus, quod qui illum locum occupaverit, ei hic locus fuerit relinquendus.

Ad vestrum porro ordinem dum me converto, huius Academiae Professores, Viri Clarissimi, qui aliter fieri possit quam ut confestim in memoriam redeam HULLEMANNI nostri, quem virum, et aliis nominibus praeclarum, et de rebus Academicis meritissimum, in ipso vitae cursu, vigentem florentemque fatum nobis eripuit et omnibus quibus carus erat dilectusque.

Natus educatusque Traiecti ad Rhenum quum in patria urbe stadium Gymnasii decurrisset et civium Academicorum numero esset adscriptus, venit in disciplinam HEUSDII, viri clarissimi, cuius docendi disputandique methodus philosophica quantopere discipulos in admirationem sui rapere, auctoritate sua percellere ad eademque studia excitare valuerit, res est notissima. Et tamen id certe temporis in ea Academia pauci quidem erant alumni, in quorum numero fuit HULLEMANNUS, qui non paterentur, ubi magister altiora petere videretur, se ab eo abripi, quique in iis eum admirari quam sequi mallent, verbo, quibus suo potius placeret quam alieno stare iudicio. Quae iudicii constantia si in quovis alio magni facienda sit, quod iuventus plerumque nulla re magis allici solet et oblectari quam quae iustum modum excedere videatur, eam in HULLEMANNO tanto pluris faciamus necesse est, in quo tantus erat Traiectinae scholae amor ut nunquam deleri potuerit. Hic autem nefas sit reticere magnum magistri animum, qui tantum aberat ut eam constantiam in discipulo vituperaverit, ut HULLEMANNUS et in Academico stadio et in reliqua vita neminem habuerit cuius magis quam HEUSDII sui favorem expertus sit et amicitiam.

Academia summa cum laude relicta mox stationem nactus est Traiecti ad Mosam, ut in Athenaeo Regio litteras doceret Graecas. Quo quum veniret, ipse equidem vidi quot et quantae difficultates superandae essent recens creato doctori, qui eam studiorum partem doceret, quae in illis regionibus dudum fuerat neglecta, cuiusque instaurationem haud facile a

quoquam exspectari posse viderat auctoritas publica, nisi qui cognitam haberet penitusque perspectam philologiam Hollandicam. Cuius rei necessitas quum paucissimis civibus appareret, novusque doctor in rebus, cum ad religionem tum ad politicam pertinentibus, aliam opinionem fovere censeretur, facillime vel me tacente intelligetur, quo animo magistrum exceperint discipuli. Sed audite, quaeso, quid ipse fieri viderim collega. Vix pauci praetereunt menses et nemo magistrorum magis honoratur, magis a discipulis amatur quam HULLEMANNUS, nec ulli disciplinarum generi plus operae impenditur quam quod HULLEMANNUS docet. Et qui aliter fieri potuit? qui enim peritus est, qui iustus est, qui diligit discipulos, non diu luctabitur cum difficultatibus quas qui istis virtutibus caret nunquam superabit. Nil dicam de fructibus quos huius viri doctrina tulit, aut de methodo docendi litteras, quae ab eo inde tempore novum quasi stadium in Athenaeo iniit; testes enim sunt innumeri illi iuvenes, qui eo magistro usi in hanc Academiam venerunt ut studia absolverent. Et methodus illa docendi quam praeclara fuerit, paucis diebus post dilectissimi collegae mortem, apud discipulos, more suo, id est eleganter, exposuit COBETUS noster, quo nemo melius de ea iudicare posse censendus est.

Fama igitur tam praeclari doctoris non fieri poterat quin brevi in nostras regiones adscenderet. Quapropter haud valde mirum videatur quod Amstelodamenses in neminem prius quam in HULLEMANNUM coniecerint oculos, ubi decreverunt Gymnasium suum ita amplificare ut praestare posset quae tempora postulare viderentur. Vocatus ergo Amstelodamum ut Conrectoris munere fungeretur, non dubitavit primam illam, etsi caram sibi factam stationem, relinquere et in scholam transire, in qua tot formati essent viri praeclarissimi qui ornamenta patriae fuissent. Amstelodami autem quantae utilitati fuerit iuventuti scholasticae, quam felicem porro honoratamque vitam vixerit in urbe clarissima, in qua amorem litterarum et artium, haud secus ac patrimonium, a patribus in filios et nepotes transire novimus, quam aegre stationis Amstelodamensis dulcedinem reliquerit, Leidam quum vocatus esset; hic denique quam facile, paucis illis, quibus inter nos fuit, annis et honorem inter collegas et amorem inter discipulos sibi conciliaverit: haec omnia melius quam a me dici possunt exposita legistis in eiusdem quem modo dixi facundissimi Collegae oratione.

Non minus quam HULLEMANNI mors, afflixit nos GEELII obitus, quamquam ab omnibus exspectatus; eiusque rei nuntius non caruit lacrimis eorum, quibus amabilem virum cognovisse contigerat.

Academia Lugduno-Batava, quae hunc virum egregium per quadraginta fere annos habuit sibi devinctum, non habuerat eundem iuvenem inter suos alumnos. Obtigit ille honos Athenaeo illustri Amstelodamensi, in quo LENNEPIUS, quo uno GEELIUS usus est magistro, historiam docebat et litteras antiquas; qui vir clarissimus, quamquam peritissimi harum rerum iudices fortasse non immerito arbitrantur eum a perfecti philologi persona aliquantum abfuisse, ubi vero iuveniles animi ad pulcri decorique sensum, ad virtutis honestatisque amorem excitandi essent, certissime nemini secundus habendus est. Sic scilicet equidem saepius de LENNEPIO praedicantes audivi complures huius viri discipulos, natura ut plurimum et ingenio diversos et in vario vitae genere praestantissimos. Hic igitur, cuius viri virtutes nunc demum pro dignitate expositae sunt a filio ingeniosissimo, mirum quantum auctoritatis habuit in iuvenilem GEELII animum. Talis enim discipulus talem quum nactus erat praeceptorem, vix aliter fieri potuit quin ea iam aetate et facillime perciperet, quid antiquitatis studium valeret in mores, et continuo sentiret quid in monumentis tam veteris quam recentioris aevi et verum esset et pulcrum.

Deinde quo ad veram humanitatem sese magis magisque GEELIUS verteret non minus hoc contulisse videtur, quod multos annos degerit in gremio domus DEDELIAE; cuius gentis antiquissimae patremfamilias laudare solebat tamquam imaginem virtutum patriciarum, quae longissimo intervallo relinqueret tot honoratissimorum maiorum nepotes turpiter degeneres. Qua quotidiana consuetudine in familia nobilissima nisi ipse veram illam animi nobilitatem addidicisset, quam tantopere in GEELIO amabamus, frustra fere omnes illi anni videri possint abiisse, quandoquidem e filiis, quorum educatio ipsi commissa fuerat, ne unus quidem virilem aetatem attigit.

Perfunctus apud DEDELIOS quod praestandum fuerat officio, Leidam migravit GEELIUS, vocatus Bibliothecae Academiae praefectus secundi ordinis; quo munere quum aliquot annos functus esset, VOORSTIO successit in primi ordinis praefectura. Quam felicem vitam inter nos vixerit GEELIUS, vel inde apparet, quod nunquam alio se vocari voluerit. Nec sane mirum.

Spartam enim quam hic nactus erat ornans cum omnium admiratione hic facile inveniebat occasionem aliis officia praestandi, quo suum sibi animum maximopere ferri sentiebat, hic deinde secum habebat dudum intimae amicitiae vinculo sibi coniunctum HAMAKERUM, qui tamen iusto maturius et ipsi et litteris ereptus est; hic denique, quod ante omnia fuerat memorandum, tecum, Cl. BAKE, amicitiam inierat, quam quanti aestimaveris te ipsum dicentem audivimus in laudatione funebri iis usum verbis, quibus GEELIUM usurum fuisse suspicamur, si ipse tibi superstes ad tuum tumulum stetisset.

Non facile carerem reprehensione vestra, Auditores, si equidem, qui huic rei me plane imparem esse sentio, iudicium ferre sustinerem de libris, quos GEELIUS edidit ad explicanda antiquarum litterarum monumenta; in nostris tamen litteris quid praestiterit si brevi dixero, facile mihi, ut opinor, concedetis. Non obliviscamur, quaeso, GEELIUM fuisse, qui nos primus admirabili quadam facilitate stili beaverit et orationem nostram liberaverit otiosa ista et quae vix quidquam varietatis admitteret compacta gravitate, quae antea fere in omni scriptionis genere dominabatur; non obliviscamur nos e GEELII praesertim scriptis didicisse, quemadmodum lingua nostra concedat et angustos istos gravitatis fines excedere et tamen concinne festive decoreque scribere.

GEELIUS, quod multi saepe doluerunt, nullas omnino partes egit in institutione academica, et tamen in multis civibus academicis, praesertim melioribus, quos libentissime circum se habebat, ea spargere potuit eruditionis humanitatisque semina, quibus vis ingenii animique ardor efflorescat necesse est; quod ex hoc ipso loco nuperrime commemoratum est eiusmodi verbis, quae omnium animos commoverint. Nec hoc tantum valet de iuvenibus; sed summam illam quae in GEELIO inerat humanitatem et benevolentiam omnes omnino expertos esse novimus etiam exteros, quorum qui paulisper modo in eius notitiam venissent, quam carum eum habuerint, saepe ipsi declaraverunt. Huius autem tam singularis benevolentiae in omnes, quae adiunctam habebat urbanam dicacitatem, iniusti simus si originem quaerendam putaremus in cupiditate placendi; imo vero non alium amabilitas illa habuit fundum nisi in illa generositate quam parere solet verus animi candor, quem qui habet, huius fructum nemini non

impertiri studet, qui suo amore dignus sit et auxilio. Verbo, si de quoquam alio vere dicatur, de GEELIO nostro dicetur verissime: „Qui hunc non amaverit, eum vix bonum virum posse dici."

Praeterierat iam maior anni pars, quum adhuc sperare licebat fore ut hodie dicere possem, neminem e civibus Academicis morte nobis esse ereptum. Sed eam spem fefellere nuntii de morte Ornatissimorum HENRICI ADRIANI KRAMERS et ANTONII PETRI VAN TEYLINGEN, qui tristissimum reliquerunt amicis et parentibus desiderium quorum dolorem DEUS lenire velit precamur.

Praebuit vero hic annus etiam multas res prosperas, quibus, quod modo dixi, et ad grati animi sensum et ad laetitiam nos excitari oportet, in quarum enarratione reliqua versabitur oratio.

Quis enim nostrum non tecum laetatus est, aestumatissime RUTGERS, quum tibi contigerit celebrare diem, quo ante viginti quinque annos munus tuum in hac Academia auspicatus eras. Quanti institutionem tuam aestiment et qui ea nunc utuntur et qui ea olim usi sunt, manifestissime apparuit ex insigni gratulantium numero. In quibus, quod non sane nihili habendum est hoc tempore novarum opinionum feracissimo, nec tu ipse dixeris nec quisquam facile viderit, utri in illa tecum laetantium corona magis te honoraverint ii, qui in gravissimis rebus tecum sentirent an ceteri. DEUS O. M. tibi vitam largiatur et vires, ut non minus facile quam adhuc fecisti, gravissima sustentes onera, quae tibi sunt imposita. Evanescat autem brevi precamur timor, qui aliquamdiu te habuit sollicitum de valetudine filii dilectissimi tali patre digni!

Et tibi quoque, Cl. PRUYS VAN DER HOEVEN, quum hoc anno munus tuum deponeres, omnes discipuli, quos adhuc habueras, certatim ostendere studuerunt, quid tali magistro deberent. Abs re foret quidquam velle addere verbis, quae eo die dicta sunt ab iis, qui reliquorum omnium nomine luculentissimum tibi obtulerunt grati animi documentum. Si cui alii, sive aetatis sive legis necessitate in vitam privatam redire coacto, opus sit verbis, quae animum depressum consolentur, tu certe, venerande senex, eiusmodi verba non desiderabis, qui persuasum tibi habeas esse etiam aliud quid destinatum homini quam in hac terra scriptis inclarescere et doc-

trinae laude florere. Felicem tibi reliquam precamur senectutem, qualis HENGELIO et BAKIO contingit, quibus quae a nobis praestatur observantia, eam nec tibi negatum iri auguror.

Quanta porro laetitia nostra sit, quod videamus te, Cl. KRIEGER, locum tuum occupantem, post morbum, qui gravissimam calamitatem timere iubebat, nemo melius quam tu ipse senties. Novimus te tam in laetis quam in tristibus amicorum semper esse studiosissimum. Quod autem nunc mihi contingit, ut tibi recuperatam sanitatem gratuler, idem spero fore ut contingat successori meo in collega coniunctissimo ex Ordine Iuris consultorum, Cl. DE WAL, qui animo suo vix dubium est quin hoc loco adsit, quamquam corpore quidem longe a nobis abest.

Quae commemoranda restant, eorum sane iucundissimum hoc mihi accidit, quod vos publice appellare liceat, qui nuperrime in nostrum Ordinem recepti estis, te, Cl. PLUYGERS, quocum ab adolescentiae annis intima amicitia fui coniunctus, te, Cl. SCHRANT, quem ad lectos meorum et in tristissimis funeribus cognovi non modo peritissimum medicum, sed etiam amicum fidelissimum. Provincia, quae utrique vestrum est mandata, gravissima est, neque est alia coniunctior cum vetere Academiae nostrae gloria. Et quam pares essetis oneri suscepto, nemo profecto dubitavit, ubi orationes habueratis et solidae doctrinae et proprii constantisque iudicii plenas.

Tibi quoque, Cl. SURINGAR, ex animi sententia gratulor, quod ordinarii professoris titulo ornatus es. Laeti et absque omni invidia tuam felicitatem praedicabamus, cui maturus honos concederetur. Qua in re benignius tecum egit fortuna, quam cum plerisque tuis in nostra Facultate collegis, qui per complures annos, extraordinarii professoris nomine, onus professoris ordinarii sustinuerunt.

Non diffiteor ambigue fere nos affectos fuisse, ubi nuntius afferretur doctissimum KOSTER, qui alterius Prosectoris munere fungebatur in Museo Anatomico, vocatum esse in Academiam Rheno-Traiectinam, ut succederet celeberrimo SCHROEDER VAN DER KOLK. Partim enim laetati sumus, quod tantae doctrinae vir ampliorem campum, quo sane dignus esset, videret sibi apertum; sed partim quoque tuam vicem doluimus, Cl. HALBERTSMA, quod eiusmodi viri opera privarere. Cuius exercitatissimi viri locum qui ita expleret, ut ne ipsius peritia desideraretur, quum sanequam difficile

est invenire, neminem arbitror cum maiore omnium exspectatione Curatores NOSTERO successorem designare potuerunt quam doctissimum ZAAYER. Qui quid in medicis studiis elaboraverit, equidem diiudicare non possum. Hoc unum dico neminem omnium, quos ex nostra ego disciplina in medicorum scholas transire vidi, tam rectam spem futurae excellentiae ostendisse.

Quantopere laetarer, Auditores, si vobiscum communicare liceret controversiam illam gravissimam et cum Academiae gloria coniunctissimam de renovando Nosocomio tandem ad finem esse perductam; a quo quod nunc fere remotior sit quam unquam, est sane quod Academiae nostrae causa perquam doleamus. Exspectandum enim videtur fore ut summa in nostra civitate potestas, quum viderit maiorem partem Senatorum Leidensium, qui nunc sunt, in solvenda fide, quae dudum data erat, pertinacissime refragantem, eo tandem perducatur, ut, sive velit sive nolit, conditiones tolli concedat, quae ab eodem illo Senatu aliquot annos ante statutae essent et comprobatae. Sed illi qui fidem dederant, persuasum sibi habebant, qui Academiae bene velit, ab eo plus esse praestandum quam verba. Videbant enim rem esse maximi momenti, quam qui nunc sunt Senatores nihili fere ducere videntur, scilicet tempori esse prospiciendum, ne legislator aliquando, ubi institutionem Academicam ordinaturus est, iure suo dicat Leidam non esse urbem, in qua institutio Academica omnibus numeris absoluta possit residere.

Sed mittamus rem illam molestam et agamus potius gratias viris amplissimis, quorum curae et indefesso labori et hoc debemus, quod aedes illae, in quibus Bibliotheca Academica servatur, tandem aliquando coeptae sint instaurari. Nisi omnia me fallunt, ea instauratio, cuius formam tu, Cl. PLUYGERS, excogitasti, commissa est civi nostro SCHAAP, architecto peritissimo, sed ita ut tuo consilio ac ductu opus perficiatur. Quae res satis fidem facit fore ut nihil non respondeat iustae omnium exspectationi.

Quandoquidem Rectori Magnifico magistratum depesituro ex lege mandatum est, memorare quae proxime in rebus academicis acciderunt commemoratione digna, nefas sit silentio praeterire rem, quae ante aliquot annos credita fuisset omnino non potuisse fieri. Hos scilicet, quos Iaponiae Imperator legatos misit, ii Academiam quoque nostram suis verbis salu-

tarunt. In quibus viris quum viderimus incolas remotissimae illius insulae multo magis quam vulgo credebatur cognoscere progressus, quos artium disciplinarumque studium proxime fecit, non potuit non maximo nobis esse gaudio, ubi audiebamus Iaponiam eam cognitionem unice Hollandiae acceptam referre, utpote ex nostratium scriptis petitam. Quod vinculum ut in posterum utrique regno quam maxime prosit, tam ad eruditionem augendam quam ad mercaturam amplificandam, ex animi sententia speramus.

Restat dicendum de certamine litterario, ex munificentia Regis Augustissimi instituto, ad quod ut omnium Academiarum nostrarum et Athenaeorum cives evocet et invitet, hoc anno mandatum est Academiae Lugduno-Batavae.

(*Legitur Programma Certaminis Litterarii*).

Ad hoc autem certamen ineundum non opus est ut vos multis excitem, alumni Academiae Lugduno-Batavae! Si facerem, viderer omnino ignorare, qui in vobis insit animi ardor et sciëntiae cupido, et obliviscerer plane in proximo certamine neminem de cive Academiae nostrae victoriam reportasse. Novimus enim, quod cum laudis testificatione memoramus, aureum nummum reportatum esse a IOHANNE GUILIELMO SCHUIT et IOHANNE THEODORO MOUTON, quorum hic tamen sortem experiri debuit contra ornatissimum HENRICUM CORNELIUM DIBBITS, Traiectinae Academiae civem; praeterea argenteo nummo ornatum esse IOHANNEM IACOBUM CORNELISSEN. In hoc igitur, quod aperui, certamine nequaquam dubitamus, quin denuo facturi sitis, quod saepius fecistis, ut nostram Academiam et in victoriis reportandis primam omnium esse appareat.

Ad finem perveni orationis, qui idem finis erit mei magistratus. Fasces Academiae igitur tibi trado, Cl. COBET, quo, si quid video, Academia nostra non facile digniorem habebit Rectorem. Salve igitur, Vir Magnifice, iterumque salve. Te duce crescat, vivat floreatque Academia Lugduno-Batava.

DIXI.

IANI GERARDI HULLEMAN

SCRIPTA EDITA.

Responsio ad quaestionem ab Ordine Phil. Theor. et Litt. Hum. in Acad. Rheno-Trai. propositam: *Ex antiquae politicae principiis effatum explicetur veterum, quod apud Ciceronem est pro Cluentio*, C. 52. Ann. Acad. Rheno-Trai. 1836—1837.

Diatribe Hist. Litt. in T. Pomponium Atticum. Trai. ad Rh. 1838.

Duridis Samii quae supersunt. Trai. ad Rh. 1841.

Ptolemaei Eordaei, Aristobuli Cassandriensis et Charetis Mytilenaei reliquiae. Trai ad Rh. 1844.

Disputatio de vita et scriptis Iubae Maurusii. Symbolae Litterariae, vol. VIII, 1845.

Disputatio critica de Anaxandrida Delpho. Ibid. vol. IX, 1848.

Commentatio de Corn. Alexandro Polyhistore. Misc. Philol. et Paed. vol. I, 1849.

Quaestiones Graecae et Annotationes de Historicis Graecis. Ibid. vol.

Disputatio critica de Annalibus Maximis. Het Gymnasium te Amsterdam. Verslag van den cursus, 1854—1855.

Open brief aan Dr. C. A. Engelbregt, ter toelichting en wederlegging zijner recensie. De Gids, 1856.

Censura operis viri Cl. Wynne, cui titulus: *De fide et auctoritate Appiani in bellis Romanorum civilibus enarrandis.* Mnemosyne, vol. II.

De Paulo qui fertur Claudio. Ibid. vol. III.

Hesiodi Scutum Herculis, ex schedis D. I. van Lennep, edidit post viri clarissimi obitum.

Oratio de Litterarum, praesertim Latinarum, apud Romanos studiis, Nerva Traiano imperatore. Annales Acad. 1858—1859.

IACOBI GEEL

SCRIPTA EDITA.

Kort overzigt over den loop der Grieksche Letterkunde te Alexandrie, met eene proeve van het Heldendicht van Apollonius Rhodius, over den Argonauten-togt. Mnemosyne van Tydeman., VIII, 1819.

Theocriti carmina cum vet. schol. ad fidem opt. editionum recensita, adnot. crit. in scholia adiecit I. Geel. Amsterdam, P. den Hengst et fil., 1820.

Levensschets van Arnold Hermann Ludwig Heeren, ridder der Guelfen-Orde, hofraad en hoogleeraar in de geschiedenis te Göttingen, door hemzelven, tot beter verstand zijner schriften, medegedeeld. Vertaald door J. Geel. 's Gravenhage, wed. Allart et C[ie] 1822.

Proeve van eene navolging van de Lady of the lake van Walter Scott. van Kampen, Mag. van Wet. Kunst en Lett. 1822.

Iets over Milmans dramatisch gedicht, de val van Jerusalem. Ibid. 1823.

Historia critica Sophistarum, qui Socratis aetate Athenis floruerunt. Trai. ad Rhen. 1823.

Anecdota Hemsterhusiana. Ex schedis Mstis edid. I. Geel, Pars I. Lugd.-Bat. S. et J. Luchtmans, 1825.

Iets over den smaak. van Kampen, Mag. van Wet. Kunst en Letterk., 1826, V.

Dav. Ruhnkenii scholia in Suetonii vitas Caesarum. Lugd.-Bat. Luchtmans, 1828.

Polybius, Historiarum excerpta Vaticana in titulo de sententiis. Rec. Iac. Geel. Acc. Ang. Maii adnotatio. Lugd.-Bat. Luchtmans, 1829.

Voorlezingen gehouden in het Lees-Museum te Utrecht, door J. Geel en A. Simons. Utrecht, Joh. Altheer, 1830.

Gesprek op den Drachenfels. Leiden, H. W. Hazenberg, 1835.

Een brief van J. Geel (over de Recensie van S.) aan de Redactie van den Letterbode. Kunst- en Letterbode, 1835.

Sterne's sentimentele reis door Frankrijk en Italie op nieuw uit het Engelsch vertaald. Amsterdam, Nayler et C°. 1837.

Mededeelingen aan alle recenserende geleerden in ons vaderland. Amsterdam, Nayler et C°. 1838.

Onderzoek en phantasie. Leiden, C. C. van der Hoek, 1838.

Lettre à M. Hase sur le discours de Dion Chrysostome, intitulé Eloge de la Chevelure, par J. Geel. Leyde, H. W. Hazenberg & C°. 1839.

De Stesichori palinodia. Rein. Museum, Philol. 6 Jahrg. 1839.

Dio Chrysostomus 'Ολυμπικὸς ἢ περὶ τῆς πρώτης τοῦ Θεοῦ ἐννοίας. *Recensuit, explicuit, commentarium de reliquis Dionis orationibus adiecit I. Geelius.* Lugd.-Bat., S. et J. Luchtmans, 1840.

Het proza, door J. Geel. Amsterdam, Nayler et C°., 1841.

Euripidis Phoenissae, cum commentario edidit Iac. Geelius. Scholia antiqua in Euripidis tragoedias, partim ineditis integriora, adiunxit C. G. Cobetius. Lugd.-Bat. H. W. Hazenberg et Soc., 1846.

Catalogus librorum Bibliothecae publicae Universitatis Lugd.-Bat. annis 1814—1847 *illatorum (cura I. Geel).* Lugd.-Bat., H. W. Hazenberg et Soc., 1848.

Catalogus librorum Mss. qui inde ab a. 1741 *Bibliothecae Lugd.-Bat. accesserunt; descripsit I. Geel.* Lugd.-Bat., E. J. Brill, 1852.

Levensberigt van C. G. C. Reinwardt. Hand. v. d. Maats. der Ned. Lett. 1854.

Hesiodi Scuto Herculis post Lennepii mortem ab Hullemanno edito addidit praefationem de vita Lennepii.

Bibliotheca Critica Nova. Edentibus J. Bake, J. Geel, H. A. Hamaker, P. Hofman Peerlkamp. Lugd.-Bat., Luchtmans, 1825—30, voll. V.

Scripsit Geel	Censuras:	Euphorionis Fragmenta ed. A. Meineke	I.	p. 40.
		Menandri et Philemonis reliquiae ed. A. Meineke	I.	" 64.
	Relationes:	Commentationes Tertiae Classis Inp. Reg. Belg. III.	I.	" 229.
		Corpus Inscript. Graec. ed. A. Boeckh	I.	" 233.
		P. van Limburg Brouwer, de philosophis ante Platonem	I.	" 241.
		P. van Limburg Brouwer, Proeve over de poezij van Homerus	I.	" 241.
		G. J. de Martini, Disput. de L. Annaeo Cornuto . .	I.	" 246.
		Dionis Chrysostomi Orat. VIII. ed. F. N. G. Bagnet	I.	" 253.
		In Polyaenum Observ. Criticae, ed. G. A. Blume	I.	" 262.
		Seneca de Provid. ed. B. A. Nauta		
		Senecae locus de sapientis humanitate, ed. C. H. Thiebout	I.	" 271.
		De Solonis Laudibus, auct. C. A. Abbing . . .	I.	" 274.
	Censuras:	Pindari Carmina tria, ed. S. Karsten		
		Pindaricae Dilucidationes, scrips. Th. L. F. Tafel,	II.	" 42.
		Luciani Toxaris, ed. C. G. Jacob	II.	" 111.
		Platonis Symposium, ed. P. A. Reynders	II.	" 264.
	Relationes:	Sallustius, ed. C. H. Frotscher	II.	" 279.

Scripsit Geel Relationes:	K. F. S. Liskovius, über die Aussprache des Griech.	II.	p. 283.
	G. H. Grauert, de Aesopo et fabulis Aesopicis	II.	〃 288.
	J. Terpstra, Disput. de Sodalitio Pythagoreo	II.	〃 296.
	Theocritus, Bion et Moschus, ed. J. A. Jacobs	II.	〃 305.
	Museum Criticum Vratislaviense, opera F. Passow	II.	〃 314.
Censuras:	Aeschyli Persae, ed. L. B. Langius et G. Pinzgerus	III.	〃 89.
	M. Fabii Quinctiliani Inst. Orat. ed. C. H. Frotscher	III.	〃 266.
Relationes:	J. van Westrik, Disp. de Aeschyli Choephoris	III.	〃 363.
	G. Hermann, de Aeschyli Philocteta	III.	〃 377.
	W. A. van Hengel, Annotatio in N. Test.	III.	〃 400.
	Luciani Alexander, Fr. v. Fritzsche	III.	〃 412.
Censuras:	Quaestionum Scenicarum Spec. I, auct. Meineke	IV.	〃 1.
	Aelii Aristidis Declamat. Leptin., ed. H. G. Grauert	IV.	〃 78.
	Theognidis Reliquiae, dispos. F. T. Welcker	IV.	〃 209.
Relationes:	Diodori Bibliotheca Historica, ed. L. Dindorf	IV.	〃 409.
	Platonis Dialog. recens. G. Stallbaum	IV.	〃 415.
	Jo. Chrysostomi Selecta, vol. I, ed. J. van Voorst	IV.	〃 419.
	Corp. Hist. Byzant. III. Agathias ed. B. G. Niebuhr.	IV.	〃 425.
	C. C rnelii Taciti Agricola, ed. P. Hofman Peerlkamp	IV.	〃 433.
	Scriptorum Vet. Nova Collect. ed. A. Mai, t. II	IV.	〃 435.
Censuras:	Aeschyli Supplices, ed. C. G. Haupt	V.	〃 57.
	H. E. Foss, de Gorgia Leontino Commentatio	V.	〃 137.
	Longi Pastoralia, ed. G. R. L. de Sinner	V.	〃 234.
Relationes:	Allg. Bibliogr. Lexicon von F. A. Ebert	V.	〃 514.
	J. Chrysostomi Selecta, vol. II. ed. van Voorst	V.	〃 533.
	Aristophanis Nubes, ed. G. Hermann	V.	〃 552.
	Commentarius Geogr. in Arrianum, auct. P. O. van der Chijs	V.	〃 560.
	Dissertatio de Callimachi Hecale, auct. A. F. Naeke	V.	〃 570.
	Observ. in Dionem Chrysostomum, auct. A. Emperio	V.	〃 576.

ACTA ET GESTA IN SENATU,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

A. 1862.

Die 1 m. Aprilis. Recitantur literae Curatorum d. d. 8 Martii, quibus nuntiant, concessam esse Clarissimo I. DE WAL rogatam pro ipso a Senatu per unius anni spatium muneris vacationem, qua ad restituendam valetudinem suam utatur inde a d. 1° m. Maii proximo.

Die 10 m. Iunii. Senatus luget obitum viri clarissimi I. G. HULLEMAN, d. 29 Maii vita defuncti.

Recitantur literae Curatorum d. d. 25 Maii, Senatum certiorem facientium, virum clarissimum W. F. R. SURINGAR, Professorem huc usque extraordinarium, in numerum Professorum in Facultate Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ordinariorum a Rege esse cooptatum.

Die 5 m. Iulii. Introducuntur in Senatum et solenniter excipiuntur viri illustrissimi, Regni Iaponici delegati, cum comitatu suo. Eos allocutus est Senatus nomine Rector Magnificus atque ab iis responsum tulit, quo significarent, in hac artium atque literarum sede antiqua ac celeberrima summo se reverentiae ac gaudii sensu perfundi et pro eius salute perpetua vota se nuncupare ardentissima.

Die 19 m. Septembris. Recitantur literae Curatorum, d. d. 8 et 30 Iulii et 12 Aug., quibus cum Senatu communicant, virum doctissimum I. M. SCHRANT, Med. Doct., a Rege designatum esse Professorem in ordine Medicorum ordinarium, in locum viri clarissimi C. PRUYS VAN DER HOEVEN, septuagenarii; ad munus Professoris ordinarii in Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum hac in Academia obeundum a Rege vocatum esse virum doctissimum W. G. PLUYGERS, Phil. Theor. Mag., Litt. Hum. Doct., Bibliothecae Academicae huc usque praefectum; et virum amplissimum E. I. A. Comitem à BYLANDT, Academiae Curatorem, ipso petente, a Rege e Curatorum collegio honorifice esse dimissum.

Clar. W. G. PLUYGERS munus auspicatur habita oratione, qua demonstrat, *studium antiquarum litterarum mansurum et duraturum esse.*

Die 17 m. Octobris. Curatores, missis literis d. d. 13 Oct., cum Senatu communicant, viro clarissimo C. PRUYS VAN DER HOEVEN, Prof. in ordine Medicorum ord., septuagenario, concessam esse muneris vacationem, salvo honore et stipendio.

Clar. I. M. SCHRANT munus auspicatur habita oratione inaugurali, cui titulus, sermone vernaculo: *Over de empirische ontwikkeling van het ziektebegrip.*

Die 20 m. Decembris. Candidati quatuor, e quibus in annum proximum Rector Magnificus a Rege constituatur, designantur viri clarissimi:

C. G. COBET.
H. I. HALBERTSMA.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. I. PRINS.

Candidati autem, e quibus eligatur Actuarius, hi sunt:

P. L. RYKE.
C. G. COBET.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. M. SCHRANT.

A. 1863.

Die 9 m. Februarii. Recitatur decretum Regium, d. d. 22 Ian., quo in annum Academicum ineuntem Rector Magnificus creatur vir clarissimus C. G. COBET.

Refert Rector Magnificus in conventu Curatorum cum Rectore Magnifico et Assessoribus habito in proximum annum Actuarium Senatui creatum esse virum clarissimum P. L. RYKE.

Futuro Rectori Magnifico Assessores constituuntur viri clarissimi:

F. W. KRIEGER.
I. E. GOUDSMIT.
I. I. PRINS.
W. F. R. SURINGAR.

Rector Magnificus cum Senatu et reliquis Professoribus in Auditorium maius descendit et ex cathedra orationem habet: *De causis, quibus effectum sit, ut studium disciplinarum physicarum hac nostra aetate tantos fecerit progressus.* Mox enarratis Academiae fatis, solennibus verbis magistratum ponit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deducunt et officiosissime salutant.

P R O G R A M M A

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

DIE IX MENSIS FEBRUARII ANNI CIƆIƆCCCLXIII

INDICTI.

Ex Regis Augustissimi GUILIELMI III liberalitate et munificentia, Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae omnes Academiarum huius Regni cives et Athenaeorum alumnos in proximum annum ad certamen literarium invitant, et quaestiones a singulis Ordinibus Academicis positas promulgant hasce:

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I.

Recenseantur et diiudicentur disquisitiones recentiores de stellarum fixarum parallaxi annua.

II.

Disquisitio de phaenomenis motus *in regno vegetabili.*

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

III.

Quoniam utile est attendere in ipso laudatissimo genere eloquentiae Tullianae, si quid in iis monumentis quae supersunt deprehendatur, quod deflectat ab eo quod decet, aut inanis et quaesitae venustatis nomine sit notandum, colligantur et demonstrentur huius generis peccata in Ciceronis *Orationibus, omissis Catilinariis, et Quatuor post Reditum, et Archiana, et Marcelliana.*

IV.

Quibus institutis Principes e gente tum Burgundica tum Austriaca hoc obtinere conati sunt, ut una eademque et potestatis exercendae et iuris definiendi disciplina omnes provincias Neerlandicas complecteretur.

(*Geschiedenis der maatregelen, door de Bourgondische en Oostenrijksche landsheeren genomen, om meer eenheid in het bestuur en in de regtspraak der Nederlanden te brengen.*)

AB ORDINE MEDICORUM.

V.

Instrumenti sphygmographi, a doctissimo MAREY *in usum vocati, auxilio nova instituantur experimenta, eo consilio ut tum ex his, tum ex observatis aliorum efficiatur, quem usum haec explorandi ratio in solvendis quaestionibus physiologicis, ad sanguinis et vasorum historiam pertinentibus, adhuc habuerit aut in posterum polliceatur.*

AB ORDINE IURIDICO.

VI.

Instituatur disquisitio de aere Malacitano et Salpensano, ita ut simul appareat, quid conferant ad illustranda quaedam Iuris Romani instituta.

VII.

Civitatisne est praestare ea, quae potestatis publici ministri in suo quisque munere contra quam decet gesserunt?

(*Onderzoek betreffende de aansprakelijkheid van den Staat voor onregtmatige daden, door zijne ambtenaren in de uitoefening hunner betrekking gepleegd.*)

AB ORDINE THEOLOGORUM.

VIII.

Inquiratur in authentiam utriusque Pauli ad Thessalonicenses epistolae.

Ad *tertiam* et *sextam* quaestionem non nisi latino, ad *quartam*, *quintam* et *septimam* non nisi vernaculo sermone respondendum erit, quo et in ceteris tractandis uti licebit.

Commentationes, aliena manu describendae, ante diem 1 m. Decembris huius anni mittuntor ad Virum Clarissimum PETRUM LEONARDUM RIJKE, Academiae Actuarium. Singulae lemmate inscribuntor adiunguntorque schedulae obsignatae, scriptorum nomina et praenomina integra continentes, eodemque lemmate extrinsecus distinctae.

Ordinum de Commentationibus judicia pronuntiabuntur, optimarumque commentationum scriptoribus, disquisitione ante instituta, praemia tribuentur ipso die Academiae natali a. CIƆIƆCCCLXIV.

ORATIO

QUAM HABUIT

GUILIELMUS GEORGIUS PLUYGERS

A. D. XIX SEPTEMBRIS CIↃIↃCCCLXII,

CUM IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

LITTERARUM HUMANIORUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE
PROFESSIONEM ORDINARIAM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

CURATORES ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE QUIQUE HUIC COLLEGIO AB ACTIS ES, VIRI ILLUSTRISSIMI SPECTATISSIMI.

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE,

PROFESSORES CELEBERRIMI, VIRI CLARISSIMI,

QUI IN HAC URBE VEL IURI TUENDO VEL CIVITATI ADMINISTRANDAE PRAEESTIS, MAGISTRATUS AMPLISSIMI, VIRI HONORATISSIMI,

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI,

ARTIUM ET DISCIPLINARUM QUARUMVIS DOCTORES ERUDITISSIMI,

CIVES ACADEMICI, BONARUM ARTIUM STUDIOSI, LAUDATISSIMI ADOLESCENTES,

CUIUSCUMQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS,

AUDITORES HUMANISSIMI!

Saepe multumque iactatur querela, non hodie tantum neque hac solum aetate exaudita, sed prope dixerim ex quo novae gentes ad antiquarum litterarum studia sese retulerunt identidem repetita, negligi veterum scripta, pulcri venustique exempla, excellentissima ingenii humani monumenta; et si non prorsus relinquantur, si a paucis tractari non desinant, at despici a plurimis, contemni, pro nihilo haberi. Atque ut solent homines eorum potissimum temporum esse laudatores quae adolescentes viderunt, cum et recentes in vita ipsi optima quaeque iuvenili ardore complectebantur, et rerum hominumque imperiti ceteros ex sua natura ac voluntate fingebant et aestimabant, cum illa querela haud ita dudum praeteriti temporis laudationem coniungunt praesentisque temporis incusationem. Nam quibus studiis quondam summus honos ac prope unicus fuerit quem ipsi cum multis ingenuis adolescentibus certatim appeterent et magna contentione assequi conarentur, eadem nunc iacere atque adeo sordere non sine magno

animi dolore indignantur. Aevi enim vitio effectum esse utilitatis potius quam virtutis et humanitatis fructu omnia aestimantis, ut firmissimum litterarum praesidium, iuvenilis institutio in antiquarum linguarum studio posita, convellatur iam ac deiiciatur; quod enim ipsi in iis solis linguis discendis operae temporisque consumsissent, id nunc ita in multarum rerum ac linguarum utiles scilicet fructuosasque disciplinas distrahi ac dissipari, ut iuvenilis animus iam neque consistat neque possit ad percipiendam antiquorum scriptorum praestantiam pervenire; metum adeo esse ne ingravescente in dies malo ita iudicia depraventur, ut tandem illustrissima antiquitatis monumenta ad insigne generis humani detrimentum perpetua oblivione atque silentio obruantur,

Alii contra — quod genus hominum fere exortum est, ex quo plurimorum sollertia hac nostra et patrum memoria rerum naturam feliciter perscrutata quae acute invenisset non minus ingeniose ad augendas cum publicas opes tum privatas contulit adque vitam lautam beatam elegantem excolendam accommodavit — ex eo inde igitur tempore queruntur alii iuvenilem aetatem, ad adipiscendam earum rerum scientiam quibus instructus vitam quis postea cum fructu dignitatis et opum possit degere unice appositam, in linguis quibusdam discendis profundi, quarum peritia ad hominum quibuscum una vivimus consociationem minime necessaria sit, sed unice ad eiusmodi scriptorum intelligentiam conducat in quibus, si ulla omnino, tenuis certe imperfectaque rerum scientia appareat hodieque longe superata. Namque veterum scripta de mundo et de orbe terrarum deque universa naturae vi tam mira commenta tradere, ut ne falsas quidem aut incertas sanorum hominum opiniones, sed aegrorum visa et somnia referre videantur: multa sane iis contineri ad vitam recte instituendam adque civitates bene ordinandas prudenter excogitata, sed neque ea ad nostram vitam aut ad nostram rem publicam sine gravi omnium rerum perturbatione transferenda; aut si nullam necessariam utilitatem afferant, sed animi liberam quamdam et honestam oblectationem, eam certe peti posse ex scriptis eorum hominum tractandis, qui linguis utantur, quarum scientia possit ad hodiernae vitae usum conferri; itaque non amplius ferendum esse, et mox fore ut ne amplius feratur, ut iuventutis institutio ad paucorum voluntatem regatur, desidiosam quamdam veterum scriptorum

contemplationem et ignavam animi delectationem multarum rerum utilitatibus anteponentium.

In quorum hominum tam variis querelis tamque dissentientibus iudiciis quid verum sit inquirere non esset fortasse inutile neque certe ab hoc tempore alienum, cum munus ingredior quod maxime in tuenda antiquarum litterarum dignitate versatur. Si enim hominum vitio et seculi labe humani ingenii praestantissima opera despiciuntur ac contemnuntur, leviter hoc a me docendi munus erit susceptum, qui non viderim ad tantam tamque late fusam plurimorum perversitatem exstirpandam parum meam infirmitatem profuturam ad paucorum qui supersint bonarum artium cultorum vires adiunctam: si obsolevere haec studia, et, utpote nostris temporibus aliena, obstruunt magis quam aperiunt aditum ad vitam beatam honestamque, improbum sane stultumque facinus aggredior, qui commissam mihi huius iuventutis salutem nefarie proditurus sim generisque humani cursum ad meliora praestantioraque tendentem impedire et retardare conaturus; sin vero litterarum studium ita cum humanitate coniunctum est, ut numquam nisi cum humano genere periturum sit, si semper in hac sancta Musarum sede plurimi invenientur adolescentes ingenui ac liberales, qui splendidiora in vita spectent quam victum et cultum et vulgares honores, mea quoque qualiscunque opera in eo studio promovendo inque ea adolescentia instituenda et honeste erit et cum spe aliqua utilitatis posita.

Non ego tamen, AA., hic veterum litterarum studii patrocinium suscipere cogito neque eius decus ac dignitatem sustinere conabor. Honestissima haec defensio, nostra memoria semel atque iterum ex hoc ipso loco fortiter suscepta, nondum ita deserta iacet, ut meam vocem requirat. Sed quoniam hoc studium alios iam labefactatum esse deplorare vidimus et ne mox corruat vereri, alios vero ipsum fundamentum quo totum nititur convellere conari atque adeo sese funditus aliquando sublaturos esse sperare, quare hanc ego spem falsam et vanam esse arbitrer illum metum inanem, dicendi hanc sive nactus opportunitatem sive necessitate coactus, ita proponam, ut mansurum esse antiquarum litterarum studium ac duraturum appareat. Quae quamquam multiplicem quaestionem lateque diffusam requirunt, tamen fretus Vestra intelligentia disseram quam brevissime potero. Vos, AA. humanissimi, aequo me bonoque animo audiatis!

Verum antequam ad hanc disputationem accedo, nostra quodammodo defensio mihi suscipienda est evellendaque falsa multorum opinio quam supra commemoravi, quasi studium antiquarum litterarum, quo nunc non multos admodum teneri satis constat, olim vulgare fuerit et a plurimis cum eo humanitatis fructu exerceretur, quem qui recte exercent ex eo quaerere oportet. Sed ne vagetur oratio, primum explanandum videtur quid hoc studium de quo quaerimus intelligi velim, cuius rei certam definitionem quam omnes amplectantur adhuc desiderari video. Hoc igitur studium dico assiduam et vehementem animi ad antiquas litteras applicatam cum intelligendi voluntate occupationem, quae sensum quemdam delectationis praebeat ex sana eorum operum admiratione profectum quae excellentissima antiquitatis ingenia summo artificio orationis facultate expresserunt. Hàec autem occupatio, in quotidiana consideratione ac contemplatione consistens, peritiam parit de toto hoc genere iudicandi quod cum orationis facultate coniunctum est; delectatio vero et admiratio aemulationem excitat, quae si cum iudicandi peritia accedit ingenium et exercitatio, rursus opera condit egregia, praeclara, nobilissimis illis monumentis minime postponenda.

Sed plurimum distat inter delectationem quam percepta orationis excellentia affert et eam quam cetera habent artificia, quae cum in naturae imitatione consistant opera condunt quae sensibus percipiuntur. Haec enim facilem habent considerationem nulla rerum ignoratione impeditam; nam ad ea contemplanda satis est ut oculis adspiciantur vel auribus accipiantur. Verum quae orationis facultate perfecta sunt, ad ea multarum rerum scientia instructum accedere qui percipere velit oportet. Etenim primum omnis oratio in aliquo argumento versetur necesse est, quod nisi quis cognitum habet, nulla erit orationis aestimatio, quippe cuius virtus in eo maxime cernatur, ut sit ad rerum dignitatem apte inventa ac disposita verbisque ad subiectam materiem accommodatis comprehensa. Tum nulla oratio ne cogitari quidem potest, nisi quae aliqua lingua tamquam instrumento utatur, cuius scientia sublata disertissimi hominis luculentissima oratio non humana arte perfectum opus videbitur, sed sonorum fortuitus quidam concursus ne auribus quidem, sicut avium cantus, oblectationem afferens. Praeterea cum mores hominum totaque sentiendi cogitandique

ratio temporibus reguntur tum vero etiam eloquentia, qua nihil est cum humanitate coniunctius. Ita quemadmodum singuli homines suum quisque dicendi genus sequuntur, sic singularum quoque aetatum oratio proprium quoddam habet et peculiare. Hoc quoque notandum et pernoscendum est, si quis de monumentis ingenii humani recte existimare velit. Namque ut de pictura vere iudicari non potest, nisi in eadem luce in qua est absoluta proponitur, sic de operibus orationis facultate perfectis pravum atque perversum iudicium erit, nisi luce temporum illustrantur quibus fuerunt composita.

Itaque, AA., hoc antiquarum litterarum studio cum reliquarum artium studiis commune est, quod in pulcro venustoque cognoscendo percipiendoque versatur: illud vero proprium habet, quod mentis intentione non sensuum affectione ad hanc perceptionem ducimur; tum ceterorum artificiorum species aperta et explicata ad delectationem proponitur, antiquarum litterarum venustas tecta et occulta et involuta multaque industria ac longe labore retegenda et evolvenda: quippe quarum praestantiam, nisi accurata eam veterum linguarum totiusque antiquitatis scientia collustret, in obscuritate latere necesse sit.

Eiusmodi autem studio, praesertim cum arduum aditum habeat et magnis sit obstructum difficultatibus, umquam se dedisse multos, ut nonnullos contendere vidimus, parum credibile erit de humana natura prudenter aestimanti. Etenim quamquam negari non potest insitum esse homini, ut pulcri specie delectetur et commoveatur, hoc tamen ita intelligendum est, ut plurimorum ea animos percellat, si sit cum sensuum illecebris connexa, paucissimorum, si sine illis blandimentis sola mentis perceptione comprehendatur.

Vereor, AA., ne hoc argumentum ex humani generis aestimatione petitum, ita adumbratum potius quam explicatum, parum Vobis ponderis habere videatur ad eorum sententiam refutandam, qui ardens quondam multorum lateque diffusum antiquarum litterarum studium nunc propemodum exstinctum esse non sine nostra reprehensione lugere solent. Verum omnis instituta de humana natura disputatio longiorem et subtiliorem inquisitionem desiderat, quam ut hic possit sine molestia Vestra explicari. Expromam potius igitur quibus ex rebus conficiam bonarum artium studia

nondum confecta iacere, sed vivere adhuc atque felici complurium labore exculta vigere. Quantum in hac brevitate orationis consequar Vos, AA., iudicabitis.

Ea autem studia ex intelligendi veterum litterarum voluntate profecta rectam aestimationem afferre et sanam admirationem eius quod in quoque litterarum genere excellat supra posuimus. Ergo demonstrandum erit nos veterum scripta et melius intelligere quam superiores et rectius aestimare atque cum prudentiori delectu admirari. Quae demonstratio, ne tota haec disceptatio insulsa atque inepta videatur, ita erit instituenda, ut cunctorum facultatem qui nunc litteris operam dant et qui olim dederunt in contentionem vocemus, non ut singulorum quorumdam excellentiam ponderemus et examinemus.

Et primum ecquod certius est argumentum melius hodie veterum scripta intelligi, quam quod multo nunc emendatiora leguntur? Quod partim eorum industria effecit, qui nostra memoria veteres membranas magna cum diligentia denuo investigarunt; quem laborem, saepe iniucundum semper gravem, nemo profecto suscepit, nisi qui perspexisset, quantum sibi adhuc ad accuratam veterum monumentorum intelligentiam obstaret incerta eorum et non satis explorata in libris qui superessent traditio. Intelligendi autem principium est, perspexisse non intelligere quod non intelligas.

Ad hunc veterum librorum perscrutandi laborem ars emendandi accessit, a multo pluribus hodie quam antea factitata. In qua quamquam propter rei difficultatem non multi admodum cum insigni successu elaboraverunt, tamen in omnibus praedicandum est cum acre intelligendi studium tum vero strenuus labor et indefessa industria. Nemo enim profecto traditam lectionem emendare conabitur, nisi qui aut quod dictum esse videtur sentiat sese non intelligere, aut quod dictum est ab eo non ita dici potuisse existimet a quo dictum esse feratur. Quid autem a quoque scriptore quopiam modo dici potuerit aut non potuerit cognoscere longi laboris est multaeque lectionis. Neque vero aliud est assidua veterum scriptorum lectio et vehemens illa ad eos applicata animi occupatio, in qua litterarum studium consistere volebam.

Si igitur nostrorum hominum ingenio atque labore effectum est, ut

ceteris iam antiquitatis monumenta apertiora et explicatiora ad intelligendum proponantur, ipsos eadem melius intelligere consentaneum esse videtur.

A qua intelligendi praestantia non seiungenda est maior de antiquis litteris iudicandi prudentia; quae duae res ita inter sese coniunctae sunt, ut separatae vix possint cogitari. Namque nullum est certe sine intelligentia iudicium; et mens in iis quae intelligendo percipit variis modis affecta, quid in quoque scriptore admirandum sit delectationis quid vituperandum taedii sensu discernens, in illis sensibus diligenter notandis et observandis quid aliud facit quam iudicare?

Hanc intelligendi et iudicandi facultatis necessitudinem tenentibus mirum accidere non potest, si cum exculta illa facultate haec in nobis confirmata sit. Quid velim nota ac insigni re illustrare liceat. Cum medio seculo superiore MARKLANDUS quatuor orationes plenas ineptiarum a CICERONE scribi non potuisse contenderet eamdemque sententiam post sexaginta annos FREDERICUS AUGUSTUS WOLFIUS proferret, quanti fere ab omnibus clamores sublati sunt! Nimirum admirabilis illa Tulliani ingenii ubertas, concinna ac numerosa verborum constructione expressa, et longae imitatorum continuationes, non ad rerum quae proponendae essent necessitatem arte compositae, sed laboriose collectae atque undique conquisitae, quam immenso intervallo inter se distarent, pauci erant qui discernere valerent. Quis autem nunc inficetias istas pro Tulliano opere venditaret quin ab omnibus rideretur? Nempe certius hodie et exploratius est de CICERONIS dicendi genere iudicium, pluresque sunt qui veterum scripta liberiore animo tractare soliti non facile patiuntur, ut fucato nitore decipiantur.

Atque hoc non tantum valet de genuinis scriptis a subditiciis discernendis, sed etiam de universa veterum litterarum aestimatione subtilius instituenda. Non amplius opinio, vel potius religio, mentes hominum occupat, ut quidquid Graece aut Latine scriptum sit, id singulari arte scriptum esse arbitrentur: sed ut hodie omnia praeclara rara esse appareat, sic semper et ubique fuisse, etiam apud Graecos et Latinos, intelligi coeptum est. Ita studium litterarum antea sine delectu in omnibus scriptoribus profusum ac dissipatum nunc in paucorum excellentia contineri solet, ad quorum nobilissima opera collustranda reliqui tamquam ministri

aut famuli lucem praebere iubeantur et quidquid utilitatis sive ad linguae intelligentiam sive ad rerum scientiam habeant conferre.

Sed maxime ad causam in qua versamur pertinet repetitum et revocatum ac miro ardore a compluribus arreptum Graecarum litterarum studium. Scilicet illud satis constat nullum rectum de ullis litteris iudicium esse, nisi quod plurium gentium praeclaris litterarum monumentis contendendis collectum sit. Etenim si certa descripta esset pulcri venustique forma quam oculis cernere aut manibus tangere possemus, ad eam singula opera arte effecta referentes facile ac sine errore de cuiusque virtutibus iudicaremus. Nunc vero ipsam iudicandi normam ex pluribus, vel nisi immensum esset, ex universis operibus conficere necesse est, quae in aeternis decori venustique principiis ab humana arte fundata sunt. Nam ea est ingenii humani in divina pulcri natura exprimenda inopia, ut non hominis modo unius, sed gentis etiam aut aetatis collecta opera partem tantum ac speciem eius effingant, totum et universum non complectantur.

Quodsi in diiudicandis omnibus omnium aetatum ac gentium litteris valet aliarum litterarum adhibendam esse comparationem, certe quemadmodum de Latinis litteris possit, non in Latio natis sed ex Graecia importatis, sine Graecis litteris aestimari, nemo facile dixerit. Et tamen illarum litterarum studium apud superiores propemodum desertum iacuisse quis ignorat? Hinc levia iudicia ac sine delectu admirationes. Horatianas illi Odas et Epistolas cum Sermonibus, CICERONIS libros de Oratore et eos quibus Graecam philosophiam Latine explicavit, tamquam argumento dumtaxat diversos, arte aequales, pari studio prosequebantur; cum VIRGILIO in epica poesi neminem de palma contendere posse, in TERENTIO comoediam perfectam et absolutam esse existimabant, item de ceteris. Nos vero in Odis HORATIUM summo artificio quae aliunde arripuisset excoluisse neque negamus et vero laudamus: in Epistolis vero ac Sermonibus suam eum indolem suumque ingenium secutum admirabile opus condidisse censemus, quod solum et unicum sit peculiarique excellentiae nota impressum; CICERONEM, cum materiem parum sibi cognitam atque a natura sua alienam tractandam sumsisset, tam brevi tempore tam multos libros tam luculenter scripsisse non sine admiratione accipimus: nam nullum opus ne levissimo quidem brachio ille perfecit, quin singulare eius ingenium pelluceat. At

dii boni! quam se ipse in praeclara illa de Oratore disputatione superavit! quam varie et copiose et enucleate artis in qua excellebat rationem exponit! quam sapienter de tota hac oratoria facultate iudicat! quam divinum dicendi artificium adhibet! ut, si reliqua eius opera vetustate deleta essent, si ex solis illis libris de eius ingenio posset aestimari, veram tamen et solidam et duraturam gloriam haberet atque excellentissimis omnium aetatum omnium gentium scriptoribus adnumeraretur.

Sed qua in re, ex quo Graecis litteris erudiri coepti simus, de tota veterum orationis facultate acutius et verius iudicare videamur, quid ego Vobis, AA., in singulis scriptoribus ostendam? Quemadmodum vel docta VIRGILII elegantia nos quidem semper delectet, at unum HOMERUM vera ἔπη condidisse et vero condere potuisse perspexerimus: vel TERENTII artem lecte et urbane MENANDRUM Latina voce convertentis admirari quidem non desierimus, ita tamen ut intelligamus, nisi quis una et illius festivitatem et sobrietatem et siccitatem, et ARISTOPHANIS sales et leporem et effusam ridendi licentiam cognita penitusque perspecta habeat, mancam eum imperfectamque quamdam comoediae speciem intueri: haec et alia eiusdem generis fuse lateque disputare longam orationem requirit.

Atque vero causae quam suscepi satis iam factum esse videtur satisque refutata eorum opinio qui, sive imperite sive inique de nostra aetate aestimantes, deseri veterum litterarum studium queruntur aut aliquando cum maiore humanitatis fructu excultum fuisse statuunt. Nam si verum est nos neque intelligendi neque iudicandi facultate vinci, quid illis superest quo temerarium iudicium vel iniquam reprehensionem aliqua ratione confirment?

Videtis, AA., ita me hanc defensionem absolvisse, ut praemunirem quodammodo id quod initio mihi explicandum proposui, mansurum esse antiquarum litterarum studium atque duraturum. Etenim si sapientis esse censemus de futuro ex praesenti aestimare neque ullius mali expectatione moveri, nisi cuius principium natum esse et gliscere sentiat, si illud studium coli hodie atque florere videmus, nihil profecto est, quare potius ne idem mox relictum languere incipiat metuamus, quam de perpetua eius salute bene speremus.

Verum hanc spem, cum antiquarum litterarum studium paulo ante ita describebam, ut omnem ab eo utilitatis opinionem removerem, vereor ne praecidisse et ipse abiecisse visus sim. Si enim hoc studium nullos affert utilitatis fructus sive ad honorem sive ad gratiam sive ad quaestum conferendos, sed honestae tantum delectationis unice ad otium oblectandum accommodatos, omnem spem nostram in perpaucorum lautorum ac beatorum hominum otioque affluentium voluntate collocatam esse videmus, otium suum plerumque in longe aliis quam litterarum studiis consumentium. Et si mirificam illam in considerandis excellentissimorum ingeniorum monumentis suavitatem nemo percipere potest, nisi qui ante multorum annorum operam in veterum linguarum totiusque antiquitatis cognitionem contulerit, ecquem tam lenta patientia praeditum esse putamus atque adeo aliorum auctoritati deditum, ut futurae voluptatis exspectatione, quae qualis aut quanta sit ipse ne suspicari quidem potest, praesentem velit exantlare quotidianumque laborem. Si denique illud studium nullam utilitatem habet sive ad vitae privatae commoditatem sive ad civitatis emolumentum, qua fiducia adolescentes ad veterum linguarum disciplinam vocabimus ingenuamque ac liberalem iuventutis institutionem in ea praecipue versari iubebimus? Nihil enim tam est secundum naturam quam utilitas eaque potissimum ducuntur homines, vel potius naturali quadam necessitate alligati trahuntur. Itaque si veterum linguarum studium nulla utilitatis spe sua ac propria commendatur, sed tantum antiquarum litterarum suavitatis perfruendae facultatem suppeditat; non modo verendum est, sed omnino exspectandum, ut mox ab omnibus deseratur, et litterarum studium, quod absque illa scientia ne intelligi quidem potest, coli desinat atque hominum neglectu exstinctum prorsus pereat..

Verum res aliter comparata est, AA. Habet antiquarum litterarum studium firmissimum salutis praesidium in veterum linguarum disciplinae perpetua ac necessaria quadam utilitate, non repentino hominum consilio ad tempus quaesita, sed nata ex immutabili rerum conditione atque ex ipsis rationibus quibus vita nostra continetur. Quod cuiusmodi sit apud indoctos fortasse accurate explicare necesse esset, Vobis vero paucis in mentem revocasse sufficiet.

Etenim artium quae in rerum cognitione versantur aliud eiusmodi genus

est quod hominem ipsum quaeque ad hominem pertinent consideranda et explicanda sibi proponat, aliud quod ceteris rebus investigandis ac perscrutandis contineatur quae praeter hominem universitate rerum comprehenduntur. Quorum generum longe diversa ratio est. Nam cum excepto homine cetera omnia certis et aeternis naturae legibus non sua voluntate regantur, sequitur ut qualia hodie ea esse videmus, talia semper et ante fuerint et in posterum futura sint. Ita qui in lapidis cuiusdam vel arboris vel alius eiusmodi rei naturam inquirit, is non in pristinorum temporum longinquitatem redire cogitur, sed in praesentis rei consideratione cognitionem absolvit. Quod in altero genere secus multo est. Nam hominum immensa est varietas, in qua varietate observatur tamen communis quaedam inusta paritatis nota et gentis cuiusque et aetatis. Ea ars igitur quae hominem considerat et in humanis rebus explicandis versatur, historiam dico, non immutabilem, perpetuam, constantem materiem habet, quam quoque tempore ex praesentibus arripiat, sed variam, disparem, mobilem, ex omnibus seculis colligendam. Ergo qui hominem cognoscere volunt non arctis eius quam quisque degit aetatis finibus se continere oportebit, sed totam humanitatem et quae est et quae fuit cognitione comprehendere. Ita nulla ars historiae posset esse, quo nomine omnes artes coniungo quae aliqua parte hominem attingunt, nisi pristinorum hominum res et mores et instituta, totaque denique vita, praesens descripta et litteris consignata, perpetua quadam traditione ad nos perlata esset.

Quibus litteris omnis priscorum temporum memoria contineatur quid opus est dicere? Graeca et Latina monumenta quinque et viginti seculorum memoriam tradunt, ad quam supplendam quae ex ceterarum gentium monumentis congerere possis, parva esse reperies atque exigua: Graeca et Latina monumenta nisi exstarent, historia generis humani, nupera atque novella, nullorum populorum, ne recentissimorum quidem, initia illustraret; ut quidquid hodie est, casu factum et in fortunae quadam temeritate positum esse videretur, et nosmet ipsi nobis quasi de coelo in terram delapsi.

Quid censetis, AA.? Verendumne est, ne aliquando genus humanum adeo veterno occupetur, ut ad suas origines redire contemnat, ut inane ducat in pristinorum populorum casus et fortunas inquirere, ut prudentiam multorum seculorum experientia collectam, reconditam atque abstrusam

7*

iacere sinat? verendumne est, ne veterum linguarum studium, quod solum illius prudentiae fontes aperit, annales generis humani evolvit, principia civitatum ac rerum publicarum illustrat, negligatur umquam aut obsolescat? Haec erat quam dicebam perpetuam et necessariam veterum linguarum scientiae utilitatem: hoc firmum illud antiquarum litterarum studii praesidium, quo quamdiu munitum esset, staturum ipsum atque integrum fore contendebam.

Nam quid ego, AA., ipsum illud studium propria quadam utilitatis commendatione efferam? quam quidem nullam habet neque vero habere potest. Hoc enim ei commune est cum ceteris studiis quae in qualicunque pulcri venustique specie contemplanda versantur, ut honestae ac vere humanae delectationis non utilitatis fructu aestimandum sit. Quod tametsi aliter esset, tametsi certam maximorum commodorum spem ostenderet, hac tamen spe vereor ut quemquam alliceret. Ea enim est pulcri venustique natura, ut a quo cernatur eum sua vi per se solum trahat ardentique amore incendat, quem vero non trahat, ut ab eo ne cernatur quidem necesse sit; quam cernendi percipiendique facultatem, ne maximo quidem utilitatis praemio proposito, nemo possit aut in aliis aut in se ipse excitare.

Hanc igitur fiduciam afferre oportet qui veterum litterarum studium numquam interiturum esse firmiter sperant: primum, fore semper qui eo ingenio praediti sint, ut quid decorum ac venustum sit percipere et persentiscere possint; tum vero antiquarum litterarum venustatem numquam ex conspectu hominum abreptum iri veterum linguarum ignoratione obvolutam. Hoc autem ne fiat unquam vereri quid aliud est quam vereri, ne aliquando homo hominem se esse obliviscatur nihilque humanas res ad se pertinere arbitretur? Alterum vero, fore semper ingenuo ac liberali animo praeditos quos Graeca Latinaque venustas trahat atque in admirationem rapiat, quis Vos, Optimi Adolescentes, intuens desperare possit? Fuit semper nostrae gentis propria sanae doctrinae atque eruditionis laus, cum reliquarum artium disciplinis tum vero litterarum atque humanitatis studio quaesita ac comparata. Hanc laudem a maioribus partam Vestraeque industriae commissam Vos tuebimini posterisque integram incolumemque tradetis. Ita si quando ubique ab omnibus veterum litterarum studium relinquatur vel abiiciatur, per Vestram tamen virtutem manebit atque durabit.

Vestrum iudicium, Curatores, ab Augustissimo Rege comprobatum me in eo honoris gradu collocavit, ut in hoc lectissimo conventu ex hoc ornatissimo ad dicendum loco de meis studiis agere concessum sit. Viro egregio atque optimo me succedere voluistis multisque nominibus omnibus meritissimo commendato. Cui utinam fata pepercissent! cum horum iuvenum causa tum vero mea. Namque illi diligentissimo ac dilectissimo praeceptore privati sunt, mihi gravissimum onus, neque tamen sine ignaviae reprehensione recusandum, impositum est. Etenim ea HULLEMANNUS doctrinae copia erat ut sine contumelia, ea animi simplicitate ut sine dolore posses ab eo in cursu honorum relinqui. Atque ego totam in scholarum umbra bibliothecarumque tranquillitate ita versatus, ut cum Vobis tum aliis operam meam probarem, nunc, ea aetate quae careat iuventutis venia maiorisque facultatis exspectationem excludat, in hanc splendidissimam publice docendi muneris lucem protrahor inque partae qualiscunque laudis periculum coniicior. Cuius delati muneris gravitatem, etsi ad honorem amplissimam, non recepissem profecto, nisi probabiliter eam administrare non tantum ingenii ac doctrinae esse reputassem, sed fidei quoque et voluntatis. Haec ego Vobis praesto, haec polliceor, his Vestram de me exspectationem tuebor, neque committam umquam, ut aut industriae laudem aut officii religionem in me requirentes Vestri Vos iudicii commendationisque poeniteat.

Professores, viri clarissimi! Praeter spem et exspectationem meam Vestro numero adscribor in boni viri Vobisque carissimi locum suffectus. Neque Vos sine causa vel errore iudicii HULLEMANNUM diligebatis, quo aut faciliorem aut commodiorem aut moderatiorem nullum me hominem videre memini. Talis viri desiderium Vos ut umquam deponatis exspectare, inhumanum foret, ego ut tollere aut levare possim, arrogans et superbum. Quare illum Vos pie lugeatis, me tamen amanter in Vestrum ordinem recipiatis; ea enim est amoris copia singularis, ut quidquid mihi caritatis attribuere velitis, id illi non detrahatis. Me autem habebitis collegam et Vestrae gratiae appetentem et auctoritati obsequentem.

Vestrum splendidissimum consessum cum oculis lustro, commovet animum tristis sane cogitatio iucundissimo me huius dicendi muneris officio

magna ex parte privatum esse, praesenti in praeceptores grati animi significatione. Namque eorum virorum quos adolescens audivi perpaucos superesse video; Te superstitem esse, optime BAKI, egregium Dei beneficium duco, Te adesse maximum huius diei ornamentum. Cui quantum ipse praecipue debeam alias ego declaravi, quantum communiter omnes discipuli nuper praedicavit vir doctus et disertus, qui ita eruditus ex Tua disciplina egressus est, ut et iurisprudentiae amplitudinem praeclare tueatur et in nostris studiis possit, si sese accingere velit, cum omnibus de palma contendere. Vere igitur GOUDSMITTIUS noster, cum ex hoc loco fuse et copiose explicaret, quae et quanta beneficia Tu in discipulos tuos contulisses, cum alia eximia de Te commemoravit, tum vero hanc praecipuam Tibi ex animi mei sententia laudem attribuit, Tuis potissimum praeceptis effectum esse, ut libero animo ac sine superstitione veterum scripta tractare didicerimus. Et vero, BAKI, non tantum in antiquis litteris recte aestimandis, sed in tota vita bene instituenda perspecta est Tua egregia prudentia et moderatio singularis: ut si ad aliquam sive virtutis sive humanitatis excellentiam contendebamus, illustre Tu nobis exemplum propositus esses quod intueremur et imitaremur. Te, Vir praestantissime, qualem Te hodie video, corporis quidem valetudine leviter per aetatem affecta, sed firmis animi viribus mentisque acumine incorrupto, talem Te nobis per multos annos ut velit conservare sospitare, Deum Optimum Maximum precor ac veneror.

Longum sit, Auditores, omnes recensere, qui vel hic vel alibi de patria medicina bene meriti sunt, infinitum adeo, quid singuli praestiterint, indicare. Quod ceterum cum historici, non oratoris sit, attingam tantum quosdam e praecipuis. Itaque WINSEMIUM [28]) recordemur, PETRI PAAWII discipulum, in Academia Franequerana professorem egregium, LINDENII celeberrimi magistrum praeclarum; DEUSINGIUM, [29]) in litteris, etiam Arabicis, non minus quam in arte salutari versatum, qui primum Hardero-vici, deinde Groningae medicinam quam optime docuit multisque scriptis illustravit; STALPARTIOS A WIELIO, [30]) medicos Haganos, cum artis usu, tum anatomes, etiam pathologicae, studio non exiguas laudes consecutos; GERARDUM BLASIUM [31]) STEPHANUMque BLANCARDUM [32]) celebres Amstelodamensium medicos eosdemque scriptores praeclaros; IOANNEM BEVEROVICIUM, [33]) quo Dordraceni gloriantur, virum litteratum, artis salutiferae peritissimum, cuius opera cum aequalibus, tum posteris multum profuerunt. At TULPIUS [34]) etiam laudandus est, ut aliorum, ita HEURNII quoque discipulus, in metropoli, raro quidem exemplo, consul anatomicus idemque medicus callidissimus; LINDENIUS [35]) et ALMELOVEENIUS, [36]) litterarum non minus quam medicinae periti, ambo scriptores eruditi, quorum hic Harderovicenam, ille vero primum Franequeranam, deinde Leidensem Academiam egregie ornavit; MOORIUS [37]) item, de cerebri morbis optime meritus, trium patriae nostrae universitatum alumnus, qui tum Groningae, tum Hardero-vici magno cum applausu medicinam docuit. Nec sane VALLANUS [38]) et LEUSDENUS [39]) praetermittendi sunt; nec SCHACHTIUS [40]) et WACHENDORFFIUS, [41]) nec LUCHTMANSIUS [42]) et NAHUSIUS, [43]) qui cum Academiae, tum etiam civitati Traiectinae honori fuerunt et emolumento. An BOERHAAVIUM [44]) excitem, virum immortalem? An GAUBIUM, [45]) pathologum meritissimum? An GORTEROS, [46]) et eximios doctores academicos, et vero tantae celebritatis AESCULAPII ministros, ut ELIZABETHA Russicorum imperatrix amplis eos conditionibus sibi medicos adsciverit? At Batavi nomine indignus est, qui talium luminum obliviscitur. Quot, quaeso, horum virorum discipuli cum artis salutiferae honorem, tum vero patriae gloriam scriptis et operibus vindicarunt! Ut alios mittam, quantum SWIETENIUS, [47]) quantum etiam HAENIUS [48]) cum in Nederlandia, tum quoque in Austria contulit ad medicinam in salutem generis humani provehendam! KLOEK-

15

HOFIUS [49]) et DEGNERUS, [50]) GRASHUSIUS [51]) et MICHELLIUS, [52]) VEIRACIUS [53]) et BICKERUS, [54]) quam egregii medici, quam docti scriptores!

Recentioris item memoriae GEUNSIUS [55]) est, eximius Academiae Groninganae alumnus, ut primum Harderovicenae, sic deinde Traiectinae per longam annorum seriem decus et ornamentum. Quae tandem laudatio tanto viro digna sit? Quae PARADISIO, [56]) quo vel acutiorem vel elegantiorem Leidensis Academia, me quidem iudice, vix habuit ullum? Quae, quaeso, BRUGMANSIO, [57]) facundia non minus et iudicandi solertia, quam scientiae varietate praeclaro? Quae denique THUESSINKIO, [58]) quo gloriabitur Groninga, dum ingenio doctrinaeque laus constabit et honos? Quantum ONTYDIUS, [59]) et MOLLIUS, [60]) et BUCHNERUS, [61]) quantum MACQUELINUS, [62]) THYSSENUS, [63]) NUMANNUS, [64]) ALEXANDER [65]) cum arte factitanda, tum scriptis edendis, hi quoque medicis informandis patriae nostrae profuerunt! Quid dicam de WOLTERBEEKIO, [66]) eruditissimo peritissimoque GEUNSII discipulo? Quid de VOSMAERIO, [67]) viro egregio, a MULDERO nostro pro meritis laudato? Quid tandem de FREMERYO [68]) deque SURRMANNIS, [69]) patre et filio? Hoc unum, Auditores: quae huic Academiae tanto honori, quae civitati tam salutaris fuit artis, quam exercebant, doctrinaeque praestantia patriis debetur universitatibus.

At non medicis dumtaxat, etiam anatomicis eminuit haec terra Batavorum, qui, quid academica valeat institutio, cum aequalibus, tum posteris luculenter probarunt, quorumque haud pauci de physiologicis etiam et pathologicis quaestionibus bene meruerunt. PAAWIUM cogitemus eiusque discipulum FALCOBURGIUM, [70]) quorum ille summam artis peritiam admirabili habebat facundia coniunctam, hic vero mortuis non tantum, sed vivis etiam secandis adeo praecelluisse videtur, ut chirurgiae professoris titulo primus omnium ornatus sit. STRATENUM et DIEMERBROECKIUM, qui cum alias, ut vidimus, disciplinae partes, tum etiam anatomen in hac Academia plene cumulateque docuerunt. Ad HORNIUM [71]) item provoco, quo Leida gloriatur; ad RUYSCHIUM [72]) et SWAMMERDAMMUM, [73]) duumviros praeclaros, in Horniana maxime schola informatos; ad GRAAFIUM [74]) et HOBOKENUM, [75]) de variis anatomes partibus quam optime meritos. DRELINCURTIUM [76]) memoro, magni BOERHAAVII praeceptorem, NUCKIUM [77]) et BIDLOUM, [78]) singulos et scrutatores praeclaros, et doctores egregios,

et scriptores elegantes. Taceo ceteros, Auditores, at RAVIUS [79]) et ALBINI; [80]) at SANDIFORTII [81]) et CAMPERUS; [82]) at BONNIUS [83]) et BLEULANDUS; [84]) at VROLIKIUS [85]) et BAKKERUS [86]) et vero KOLKIUS noster, quanti, quaeso, viri! Quam vellem, quid singuli praestiterint, enucleate referre, laudibus eos extollere, gloriae sempiternae iterum iterumque commendare! Vetat autem temporis, quo concludor, angustia. Sufficiat igitur in memoriam revocasse, tanta horum virorum merita fuisse cum in alias medicinae partes, tum vero praesertim in anatomicam disciplinam, ut ubicunque terrarum ab omnibus artis peritis lubenter agnoscantur. Missos facio chirurgos, missos etiam LUCINAE ministros. [87]) Satis enim superque dixisse mihi videor, ut intelligatis, per tria deinceps saecula patrias Academias ad patriam medicinam vindicandam permultum contulisse.

Quod etiamsi dare cogantur, erunt fortasse, qui rogent, nonne etiam sine Academiis medicina vindicari possit. Attamen institutione opus est. Itaque vel ad privatos confugiendum erit medicos, vel ad Scholam sive Clinicam, quam vocant, sive aliam publica auctoritate constitutam. At vero tantus est disciplinae, qua medicus indiget, ambitus, ut nemo quisquam detur, qui solus ad docendum sufficiat. Neque binos facile magistros invenies, quorum alter in physicis disciplinis, alter in medicis ita versatus sit, ut cunctas et singulas plene et accurate tradere possit. Imo vero, etiamsi plurium conspiratione et consortio dividantur docendi partes, quandoquidem sine hortis et laboratoriis, vario supellectili instructis, sine museis aliisque studiorum praesidiis, quae privati homines sibi comparare nequeunt, medici rite informari non possunt, privata illa institutio manca erit et valde imperfecta. Idem valet in Scholas, quibus propter aerarii angustiam sumtus necessarii suppeditari nequeunt. Nec tamen dubitandum, Auditores, quin, deficiente institutione academica, haud pauci iuvenes, artem salutarem addiscere cupientes, vel medicis se privatis in disciplinam tradituri forent, vel nomen daturi Scholis istiusmodi imperfectis. Quod si quis parvi ducat, opinatus scilicet, nihil inde rempublicam capere detrimenti posse, modo severa iuratorum probatio stupidos arceat et imperitos, is in gravissimo, me quidem iudice, versatur errore. Stupidi, non est quod dubitemus, arcebuntur, at plures admittentur mediocriter docti, ad patriam medicinam vindicandam multo minus idonei quam

universitatum alumni. Quantacunque enim religione probentur candidati, ne civitatis incommodo deficiant medici, modum exigendae doctrinae communis definiet examinandorum peritia.

Longe aliter statuendum est de Scholis liberaliter instructis. Quae siquidem doctores habeant nec pauciores quam Academiae, nec minus egregios, et vero paria studiorum adminicula, multis certe nominibus universitatibus aequiparandae sunt. At academica institutio ad omnes explicandas ingenii dotes, ad animum excolendum, ad hominem informandum vere humanum, a praeiudicatis opinionibus liberum, constantem, modestum dici vix potest, quanto magis accommodata sit quam alia quaecunque disciplina. In universitate, qualem maiores nostri variis in patriae locis condiderunt, non universae quidem, quod mala quis vocis interpretatione suspicari possit, at multae tamen traduntur eaeque diversissimae doctrinae. Rara utique exempla sunt civium academicorum, qui praecipuas deinceps consectantur singulorum ordinum institutiones. Pauci modo praeter scholas lege praescriptas uni de ceteris tam assidue intersunt eique tantum operae tribuunt, quasi disciplina ibi tradita ad proxima vitae munia necessaria esset. At plures incredibili flagrantes discendi amore praeter eam, in qua habitare student, varias solent gustare disciplinas. Omnibus insuper est consuetudo cum adolescentibus diverso studiorum generi destinatis. Qua quidem consuetudine efficitur, ut de nullis non rebus sive disserendo sive confabulando multarum sibi notitiam parent, quae ceteroquin ipsis incognitae mansissent. Quod autem pluris est, diversa ratione tum ingenium acuitur, tum animus inflammatur. Exardescit studium veri, reprimitur arrogantia, praecavetur iniquitas, excoluntur perpoliunturque mores. Quod quanti medicis momenti sit, qui varii generis hominibus adesse, qui nullius non indolis aegrotantibus curam adhibere debeant, omnes norunt, qui quid urbanitas et modestia, quid candor et aequabilitas, quid constantia et fortitudo cum ad favorem, tum ad fiduciam valeant, observando experiundoque didicerint ipsi. At vero civitati vel maxime, tum etiam arti, quam exerceant, mirum quantum prosit, quod ad omnem humanitatem exculti, quod ingenui, quod stabiles et firmi sint, quicunque medicinam factitare cupiant. Quidquid igitur alia praestiterint instituta, quandoquidem Academiae honestioribus informandis inprimis accommodatae

sunt, nisi prorsus abiiciamus HEUSDII memoriam, medicorum etiam causa vindicari debent et, quantum opus est, augeri.

Multi sunt in patria nostra, qui sordidae parsimoniae causa pro tribus, quae hodieque florent, universitatibus unam modo servandam esse censeant eamque, si res ita ferat, nonnihil amplificandam. Alii, liberales illi, quos inter magna doctrinae laude conspicui, quandoquidem nulla spes ipsis esse videtur fore, ut singulae, quae exstant, Academiae cum numero doctorum, tum etiam variis studiorum praesidiis ita augeantur, ut suum ipsae vindicare honorem, civitatis promovere salutem et vero doctrinas artesque ingenuas magis magisque provehere possint, tres illas Musarum sedes coniungendas esse existimant et in unum patriae locum veluti cogendas. Equidem, Auditores, quamvis haud diffitear, liberalium illud consilium habere quo sese commendet, pluribus tamen de causis reiiciendum esse arbitror. Missas facio ceteras, ab argumento nostro magis minusve alienas. Hoc unum contendo, nisi plures habeantur Academiae, medicam institutionem longe minus fructuosam fore quam in praesenti rerum conditione. Est haec nimirum huius institutionis ratio, ut, increscente discipulorum numero, decrescant institutionis fructus. Metaphysicis, historicis, politicis scholis, ut alias taceam, sive decem intersint, sive centum, sive plures etiam auditores, ad singulorum progressus nihil facit. Alius longe naturae et medicae sunt quaeque ad medicinam praeparant, latiori vocis significatione physicae nuncupatae. In his enim non tantum audire, sed etiam intueri, sed observare, non assidere modo, sed agere, sed operari debent discipuli. Quod cum et spatium requirat et variam supellectilem, apparatus, instrumenta, naturae producta, quo maior studiosorum numerus, eo minor erit opportunitas discendi. At huic incommodo de reformatorum sententia subveniri poterit. Quemadmodum auditoria, sic etiam laboratoria et amphitheatra et alia quaecunque loca institutioni destinata, sic apparatus et adminicula, sic observandae et varie tractandae materies, fossilia, plantae, animalia discentium numero accommodari possunt. Possunt, Auditores; de multis ipse affirmo. Sed aliud quid est posse, aliud futurum esse. Confidant reformatores, tantam in posterum fore publicam institutionem curantium liberalitatem, ut desideratis continuo prospiciant, equidem non confido adeoque certa pro incertis esse sumenda statuo. Quod

autem in aliis institutionis partibus non exspectabile quidem, attamen cogitabile duco, in clinica, quam vocant, ne cogitari quidem potest. Erunt fortasse, qui multiplicandis clinicis, qui seiungendis et vero distribuendis medicinae studiosis effici posse censeant, ut singulis exercitationibus non plures intersint, quam spatia locorum et vero cum observandi, tum examinandi et opem ferendi necessitas sinant. At primum ridiculum est admittere, tot clinica sive Leidae sive Traiecti haberi posse, quot ad ordinem modo propositum omnino postularentur. Tum vero, Auditores, aut fallor equidem, aut distributio ista libertati foret academicae contraria, quippe cui hoc proprium sit, ut discant qui velint, quae velint, a quibus velint. Ponamus autem, vastis exstructis in alterutra civitate nosocomiis iisque mira aegrotantium caterva repletis, ita rem ordinatam esse, ut libertatis negligentiores diversorum clinicorum institutionibus alternatim utantur studiosi. Quid accidet? Siquando singuli, quos sequantur, clinici vel ex eadem Schola prodierint, vel certe ita inter se conveniant, ut iisdem morbis eandem curam adhibeant, fortes et constantes informabuntur medici. At vae illis, si tanta sit professorum discrepantia, ut, quod CAIUS verum habeat, a TITIO negetur, quod hic affirmet, ille dubitet. Sceptici fient, in arte salutari longe magis quam in theologia periculosi [88]). Principiis carentes in aegris curandis semper haesitabunt, in gravioribus autem morbis animo nunc huc, nunc illuc fluctuantes, vel turpi negligentia vel intempestiva et praepostera audacia non raro mortem properabunt, ipsique sui fiducia destituti vitam degent miserrimam. Est sane Medicina ab evidentia mathematica quam longissime remota. Diversitas opinionum, dissensiones et controversiae diversos inter artis ministros vulgares potius quam rarae sunt. Quae cum tirones in dubitandi periculum adducant, multiplicatam illam institutionem vehementer equidem improbo. Quidquid igitur contra dici possit, etiamsi nihil aliud esset, est autem multum, quod vel suaderet illud vel etiam postularet, medicinae vindicandae causa singulas servandas esse Academias, magna cum asseveratione contendo.

Verum enim vero non tantum servandae sunt, sed etiam tuendae. Quod nisi fiat, servari prorsus nequeunt. Neque eam modo tutelam specto, quae donationibus continetur et pecunia subministranda, iustissimoque professorum delectu, nulliusque necessitatis cura negligenda, sed talem vel

maxime, qua studiosa iuventus cum alliciatur, tum invitetur, omissis quibus repellatur. Leges obligatoriae, quibus ad academicam disciplinam cogantur medici futuri, libertatis principiis adversari videntur [89]). Neque autem iis opus est, Auditores. Dummodo vindicentur Academiarum iura et privilegia, dummodo abstineatur ab iis, quae novi homines machinantur, nullum dubium. quin et florere et patriae medicinae insigniter prodesse pergant. Quodsi vero contra maiorum voluntatem doctoris titulus ita infringatur, ut ad artem factitandam non amplius sufficiat; si vel ii, qui summis in medicina honoribus ornati sunt, quo licentiam acquirant opem ferendi, iuratorum probationi submittantur; aliis autem ad longe minorem humanitatis cultum informatis eadem tribuantur iura, quae doctoribus adhuc competunt, aut nihil video, Auditores, aut apud nostrates actum est de medicina. Corruet ordo medicorum, tabescet etiam physicorum, disrumpentur universitates, frigescent studia quaevis, retrolabetur ars salutaris, evanescet, quam a maioribus accepimus, eruditionis humanitatisque fama.

At enimverò, sic mihi quispiam occurrat, aliorum quam docentium probatio civium securitati perquam necessaria habetur. Si nulli, nisi doctores, salutiferam artem exercerent, complurium incolae pagorum, Bunschotani, Camericenses, alii, medicorum auxilio destituti, magno quidem aerarii damno, cuncti deinceps emorituri forent. Itaque praeter honoratiores aliis etiam medicis opus est, inferioris ordinis illis, qui, quod ceteri recusant, ruri degere velint. Qui vero rusticis medicinam adhibere possunt, possunt et optimatibus, ut igitur consequens esse videatur, quibus potestatem feceris ruri medicinam factitandi, iisdem et in urbibus eandem concedere licentiam. Consequens est, Auditores, nequaquam diffiteor; at restringere licentiam eorum, a quibus minorem ingenii cultum exegeris, quam ab aliis postularis, neque iniquum et vero propter contrarii consequentias summe necessarium. Egomet ipse, longo rerum usu quid verum sit in eiusmodi quaestionibus edoctus, iis adstipulor, qui solos medicinae doctores ad artem salutarem factitandam in patria nostra haud sufficere contendant. At eo libentius legem acciperem, qua summos in medicina honores antiquo more cuncti petere iubeantur, qui AESCULAPII sacerdotibus accenseri cupiant; quo magis persuasum habeo, nisi repudietur, quam in exordio commemo-

ravi, rogatio, pessumdatum iri patriam medicinam et nomini Batavo dedecus et ignominiam inustum.

Quod autem attinet ad probationem eorum, qui summos in medicina honores consecuti fuerint, quam quidem probationem artis peritis mandare volunt quotannis undecunque eligendis, supervacaneam eam et prorsus reiiciendam duco. Conquesti sunt medici, vel arrogantes illi, vel olim, ut suspicor, Deae Ignaviae ministri, de disquisitionum academicarum levitate. Contendunt et alii, morum et doctrinae laude praeclari, magistros etiam optimos, in discipulos paulo indulgentiores esse, quosque alii verisimiliter dimitterent, amore ductos et misericordia, subinde quidem admittere. Leves esse disquisitiones nostras, indignabundus nego. Humanitati vero plus aliquando quam iustitiae tributum esse, de mea quoque sententia verissimum est habendum. Atque haec quidem causa fuit, cur ipse, quum florentis aetatis essem, ad omnem omnino probationem collegia peritorum non academica professorum ordinibus anteponenda fore censuerim. Non amplius censeo, Auditores! Primum experiundo cognovi, laudatam illam iuratorum probationem, qualis apud exteros habetur, haud raro plus videri quam esse. Saepius scilicet ignorantiae causa viros repellere debuimus, a iuratis in Germania paulo ante probatos. Deinde, propter opinionum diversitatem cum in iis, quae scientiam spectant, tum vero maxime circa artis praecepta, non vanus sane metus invasit, ne, mutata probandi ratione, pluries iniusta ferrentur iudicia. Magistris praeterea fidem habere in ceteris, ut volunt, in artis vero peritia probanda non habere, quid aliud sit quam inconsequentiam et iniquitatem tueri, nequaquam equidem intelligo. Accedit, quod in Belgio iuratorum illam probationem studiis academicis vehementer nocuisse, diserte declaraverint idonei harum rerum iudices. [90]). Quae cum ita sint, aut fallor equidem, aut institutum non necessarium, quod Belgae respuunt, quod Academiarum imminueret auctoritatem, quod discipulos a magistris averteret, quod studiis noceret, quidquid moliantur ambitiosi, declinari debet et in praesentiarum certe reiici. Multum quidem abest, Auditores, ut in academicis disquisitionibus nihil quidquam emendandum esse putem. Sane quam desiderantur nonnulla. Quae vero desiderantur, illibatis Academiarum iuribus, vel solo Regis iussu facile possunt expleri. Summum est curare, ne iuvenes in-

culti, disciplinarum studiis parum apti civibus academicis adscribantur. Quod si factum fuerit, mutatis mutandis, academica medicorum examinatio tantam civibus securitatem promittet, quantam ulla probatio possit.

Superest, ut amplificationem universitatum commendem ad vindicandam et vero perficiendam medicinam in patria nostra perquam necessariam. Non talem volo, qua vel duplicando vel etiam triplicando docentium numero, Germanorum aliorumque ad exemplum, una modo singulis committatur disciplina. Hoc enim cum ad pia vota refero de perfecta universitatis specie somniantium, tum vero minoris mihi frugis fore videtur, quam vulgo quidem putatur. Haud sane infitior, in Academia tam ample constituta singulis disciplinis plus operae tribui posse quam ubi diversa docendi necessitate singuli professores obruti sunt; at vero nec constat, tributum iri, nec facile negaveris, etiam obrutos illos duplicata tanquam industria tantum saepe praestitisse, quantum alii praestent minus negotiosi. Quid quod discentium interesse possit, ut plures disciplinae ab uno eodemque praeceptore tradantur. Sapienter, ut hoc utar, clinices professori cum therapia specialis demandatur, tum etiam medicaminum virtutis exponendae provincia. Haec enim et illa, quae salutarem ipsam artem spectant, si diversis committuntur, magnus omnino metus est, ne discrepantibus opinionibus ita confundantur studiosi, clinicam ut institutionem aut non intelligant aut parvi ducant, certissimo civitatis detrimento. Reputanti vero, quantos, ut ceterae, sic medicae quoque disciplinae hoc maxime saeculo progressus fecerint, quibus nimirum factum sit, ut et histologia et pathologica, quae dicitur, anatome, et ophthalmologia et alia tradi debeant, de quibus in Regio decreto, quod institutionis superioris sive fundamentum sive normam continet, nihil prorsus praescriptum est, augendum esse docentium numerum, nemini non perspicuum erit.

Maioris autem necessitatis cum eorum est augmentum, quibus anatomes indigent et physiologiae professores, tum etiam pathologicae et vero clinicae institutionis apparatus et materiae. Accurata corporis humani notitia totius medicinae quasi fundamentum est. Itaque hominibus opus est cum vivis, tum etiam mortuis, quos perscrutari possint medicinae studiosi. Cadaverum eheu, talium certe, quae studiis inservire possint anatomicis, tanta patriis in Academiis est penuria, nihil ut antiquius esse debeat quam

huic incommodo prospicere. Quod etsi magnis apud nostrates, quibus iusta veneratio mortuorum esse solet, ut olim, ita nunc etiam prematur difficultatibus, amplificandis tamen nosocomiis, mutanda humationis norma, gratuito ruris incolarum lethali morbo laborantium hospitio, plurium Academiae bene volentium conspiratione cum hic, tum alibi fieri posse, non est quod dubitemus.

At physiologicis etiam opus est laboratoriis, hodiernae disciplinae rationi accommodatis. Quae habemus, Auditores, quemadmodum institutioni, sic quoque scientiae provehendae mirum quantum profuerint. Tanta vero desiderantur, ut explere lacunas vel potius Goettingensium et Heidelbergensium exempla sequi, ceteros superantium omnes, ad patriae disciplinae vindicandum honorem admodum necessarium sit.

Quid tandem de nosocomiis dicam? Ubi angusta sunt et male constructa, ubi minor recipitur aegrotantium copia, quam, incolarum habita ratione, recipi possit, ampliora debent aedificari et liberaliter instrui, facili dato pauperibus aditu talique cum medicis eorum curam gerentibus conventione facta, qua clinica, quam vocant, institutio quam optime promoveatur. Qui, quae hactenus in Academiis nostris fuerunt instituta, medicis practicis informandis destinata, vel parvi ducunt vel nullius fere momenti, aut ea non cognoscunt, aut inepti sunt harum rerum iudices, aut consulto cogitateque veritatem obscurant. Ultraiecti nimirum, ut exemplum afferam, computatis in nosocomio decumbentibus aegris iisque, qui consultandi causa alternis diebus ibidem versantur, bis mille et quod excedit quotannis ad clinicas exercitationes inserviunt. Quibus quidem exercitationibus qui sedulo intersunt medicinae studiosi, intersunt autem per integrum biennium omnes, ea modo gaudeant ingenii felicitate, sine qua nemo quisquam vero nomine medicus esse possit, ita informantur, ut, spatiis academicis decursis, ad artem salutarem suo Marte factitandam accedant omnino parati. Nihilominus, Auditores, permulta desiderantur. Nosocomium, indefessa licet administrantium cura probabili munditie nitens aptaque et eleganti fere supellectili instructum, tam parvum est, tam male constitutum aegrisque curandis tam parum accommodatum, ut novum exstrui debeat, quod cum architecturae, tum etiam hygieines et vero therapeutices principiis apprime conveniat. At non satis factum fuerit, nisi

curetur, ut novo aedificio plures omni tempore excipiantur diversi generis aegrotantes, quam in vetusto vulgo quidem recubant. Nimirum, etiamsi sufficere possit, quem adhuc habuimus, numerus chronicis laborantium morbis, typho tantum excepto, indigemus omnino acutis. Cui quidem incommodo, de mea certe sententia, facile subveniri poterit, ita mutanda norma medicis praescripta pauperes curantibus, ut plures in nosocomium dimittere teneantur.

Atque hac adeo vel alia, si res ita ferat, ratione cum nostrae, tum ceterarum universitatum desideriis explendis, quam optime non tantum vindicabitur patria medicina, sed magis etiam magisque perficietur, in perpetuam, dum in his terris morabitur, generis humani salutem.

Magistratum academicum deposituro nihil mihi prius, nihil antiquius esse potest quam ut Deo gratias agam, quas ago habeoque quam maximas, pro beneficiis per totum hunc annum in me collatis. Valetudinis etenim prosperitate, curatorum benevolentia, collegarum favore, studiosae denique iuventutis observantia ita sublevata sunt gravissimi muneris officia, ut praeter eam, quae medico negotioso temporis iactura continetur, nullam mihi prorsus attulerint molestiam.

Reliquum est, ut de rerum academicarum statu referam atque enarrem, quae, me Rectore, vel prospera vel adversa huic Musarum sedi acciderint.

Curatores, viros amplissimos, uno RAVIO honoratissimo excepto, salvos et incolumes esse, vehementer gaudemus. Pergite, viri gravissimi, qua soletis, prudentia nostris et vero patriae rebus consulere. Datores estote bonorum, malorum averrunci. Vobis ipsis, etiam aegrotanti collegae, optima quaevis apprecamur.

In vestrum ordinem oculos convertens, collegae coniunctissimi, non possum non continuo cladem cogitare, quam inexorabile fatum vel potius certus naturae cursus et vero veneranda Dei voluntas nobis attulit. Duumviri vita cesserunt, quos magni fecimus omnes, quorumque memoriam nec mihi, nec vobis ulla dies delebit.

Et primo quidem KOLKIUS [91]) memorandus est, candidus ille, bonitate affluens ac concinnus amicis, cuius vultus serenus adhuc oculis nostris

inhaeret, cuius vocem, magnam, remissam, affectuum varietati congruam, etiamnunc audire nobis videmur. Quanta fuit in illo sagacitas, quam celeres ingenii motus, quis ardor, quae perseverantia! Non mirum profecto, talem tantumque virum cum Academiae nostrae, tum etiam medicis disciplinis et vero patriae universae plurimum profuisse. Quod cum idonei harum rerum iudices [92]) in laudationibus, quas omnes, credo, legistis, plene cumulateque probaverint, equidem, ultimus parentare coactus, paucis rem absolvam.

Bleulandi successor anatomen docuit et physiologiam, et ita quidem docuit, ut multum inde discipuli cum ad ingenii cultum, tum ad naturae humanae scientiam et vero ad artis exercitium perceperint fructum. Nimirum haec erat eius institutionis ratio, ut in organismi compositione demonstranda nunquam non ad partium usum animum adverteret, ut in disciplinis sibi mandatis principia cum ipse quaereret, tum etiam discipulis indicaret, quibus artis exercitium niti debeat, ut theoriam, quam vocant, cum praxi copulare studeret. Quod non ita quis accipiat, quasi vel sola vel inprimis dumtaxat ea tractaret, quibus cum morbis eorumque curatione arctior intercedit necessitudo. Omnem enim corporis nostri fabricam exponere, quantumque in hac disciplinae infantia fieri queat, totam naturam humanam explanare solebat. Quidquid vero eiusmodi esset, ut usum manifestum vel haberet vel habere certe videretur, id avide tanquam arripiebat et impetu quodam discipulis non tradebat, sed inculcabat. Qua quidem in re quamvis ingenio subinde nimium indulsisse videatur, quemadmodum in aliis multis, vere excelluit. Postquam Groningae summis in medicina honoribus ornatus erat [93]), Amstelodami [94]) per integrum quinquennium in nosocomio suburbano non tantum artem factitavit, sed etiam studiis operam tribuit, cum aliis, tum inprimis anatomicis, et ita quidem, ut non BAKKERUM, optimum magistrum, modo, sed RUYSCHIUM ipsum et ALBINUM aemulari videretur. Atque haec plane singularis ad futuram professionem veluti praeparatio, quemadmodum alios, ita hunc etiam fructum tulit, ut Museum pathologicum conficere coeperit, quo vel elegantius vel morbis illustrandis accommodatius nihil prorsus excogitari possit. Quod quidem Museum sensim sensimque auctum et amplificatum tantam ubicunque nactum est famae celebritatem, ut magnus omnino me-

tus sit, ne propediem auferant exteri, quod dudum fortunatis inviderunt Traiectinis. [95]) Qualem autem in privato, talem etiam in publico Museo, quod vulgo Bleulandinum dicitur, ornando septem fere lustra posuit industriam. Utrumque sane praeclarum est artificii, nec minus ingenii Kolkiani monumentum. Scalpellis instructus et siphone vasis implendis destinato, tum etiam microscopio, cuius usu diligenti mirum quantum et ille praestiterit, his igitur instructus multa illustravit imperfecte cognita, nec pauca sane nova detexit, ab aequis et peritis iudicibus maximi aestimata. Ineptum sit, Auditores, de singulis dicere. Hoc unum mihi detis, ut declarem, de medulla, quae nomen a spina dorsi habet, talia KOLKIUM nostrum docuisse, quorum nullius unquam saeculi posteritas immemor esse possit. Causarum et effectuum nexus finis erat bonorum, quem in omni fere disquisitione attingere conabatur. Accidit quidem interdum, ut ingenii celeritate deceptus, ut *ἐνθουσιασμῷ* sibi proprio praestrictus in errorem raperetur. Universe vero tam acute cernebat, tam recte iudicabat, ut ad nexum, quem quaereret, illustrandum permultum eum contulisse, nemo facile negaverit.

Quid denique dicam de laboribus indefessis, quibus mente captis in patria nostra prodesse, quibus ipsam alienationis indolem in salutem generis humani declarare studuit? Tam multa fecit, ut plura facere nemo mortalium possit. PINELLII [96]) monitis excitata primum Gallia, deinde Anglia et Germania hoc ipso saeculo nosocomia condiderant miseris illis rationis usu carentibus accommodata. Batavi paullo tardiores acquiescebant in re constituta. Quos sibimet ipsis nocituros fore putabant, eos in angustis cavernis, in obscuris carceribus secludebant, de curandis iis ne cogitabant quidem. Prodit KOLKIUS. Indignatur, queritur, monet, clamitat, persuadet, convincit. Cedit humanitati barbaries. Excitantur optimates, rei publicae rectores, Regis administri. Urget ipse Rex. Rogantur et feruntur leges ad rem ordinandam necessariae. Emendantur cuncta. Pro cavernis exstruuntur valetudinaria, primum Traiecti, deinde alibi. Regitur cura. Sanantur multi. Gaudet Princeps. Gloriatur patria. Admirantur exteri. Annuit Deus immortalis! Quid plura? Qui talia condidit, ipse sibi monumentum paravit aere perennius. Requiescat in pace!

Quam diversus a KOLKIO VINKIUS [97]) erat, doctus ille theologus, eccle-

siae reformatae vindex ac patronus! Non mobilis, ut ille, sed tranquillus; non alacer, sed sedatus; non hilaris, sed adductus. Nec minus tamen acutus et perspicax et laboriosus, et vero prudens et aequus, pius ac benevolus. Amstelodami natus et eruditus, primum in illustri, quod metropolin ornat, Athenaeo litteris cum graecis latinisque, tum etiam orientalibus operam dedit, in his quidem WILMETO, in illis vero LENNEPIO praesertim usus magistro. Deinde theologiae causa huius Academiae civibus adscriptus, Heringana maxime disciplina sacris initiatus et ad antistitis munus rite praeparatus est. Quo quum duobus in pagis Traiectinis [98]) omni, qua posset, religione perfunctus esset, primum Alcmariae, deinde in hac ipsa civitate, septem scilicet annos in singulis, coetui reformato disertus et vero fidissimus divinorum fuit oraculorum interpres. Anno huius saeculi tricesimo sexto, HERINGA, viro clarissimo, rude donato, nemine non suffragante, Theologiae Professor creatus est. Quam quidem provinciam, de suis ipse viribus diffidens, haud sine haesitatione suscepit, susceptam autem, valetudinis licet infirmitate nonnunquam impeditus, quinque et quod excurrit lustra vere ornavit. Atque haec quidem de externis. Interiorum expositionem a medico theologicis in causis non admodum versato vix ac ne vix quidem exspectaveritis, Auditores! De libris, quos edidit VINKIUS noster, cum eruditis, tum popularibus, ad communem omnium captum accommodatis, TER HAARIUS aestumatissimus concise nuper, nec minus ornate scripsit. [99]) Scripsit etiam de loco, maximam partem Heringano, quem inter theologos stabiliter occupavit. Laudavit amabilem ipsius tolerantiam atque moderationem, acerrima theologorum pugna nunquam aut vix unquam perturbatam. Quam quidem ob animi temperiem ecclesiae reformatae non malo, sed potius emolumento salutique fuisse virum, quem elugemus, extrema fugientem, augurante TER HAARIO nostro, posteri iudicabunt. Non est, quod dissentiam, Auditores! Imo vero hoc addere ausim: siquando deferbuerit ira, qua mentis praestringitur acies; ubi placato, quo multi flagrant, adversariorum odio; ubi compositis igitur affectibus, de solis rebus, non amplius de rerum defensoribus disputare coeperint, idque non animose, sed sedate; non e praeiudicatis, sed libere; non confuse, sed ordinate atque acute, maior etiam quam in praesentiarum Vinkianae disciplinae tribui poterit auctoritas. Ego certe,

qui, quoniam rem diiudicare nequeo, neutri theologorum parti totus addictus sum; qui, quamvis haud incredulus, de rerum, in quibus versantur, incertitudine persuasus, medicum ut decet, observo atque exspecto, nunquam non commotus fui fiducia, qua collega, subacto non minus ingenio quam doctrinae praestantia, veritatis amore pariter ac animi probitate conspicuus, placitis adhaereret, acriter a novatoribus impugnatis. Quodcunque autem fuerit vel aequalium vel posteritatis de VINKIO nostro iudicium, memoriam eius pie conservabimus omnes.

Viventibus nobis, coniunctissimi collegae, multa sane bona contigerunt. Plerisque illibata licuit valetudine laboribus vacare, praeeunte et veluti facem praeferente BOUMANNO nostro, qui suo probat exemplo, quam recte CICERO dixerit: »manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria." Dolemus, senem illum venerandum, itemque clarissimum VAN LIDTH DE IEUDE corporis infirmitate prohiberi, quominus festum anniversarium nobiscum celebrent. Adsit iis Providentia Divina! Sunt in collegio nostro, quibus laeta, imo vero laetissima acciderint, quae denuo ipsis gratulamur. At moerentes etiam conspicio, MIQUELLIUM et DOEDESIUM, quorum hic dulcissimam uxorem amisit, mentis animique dotibus insignem, ille vero patre orbatus est, medico literatissimo, multis nominibus praeclaro. Sustineat afflictos Deus Optimus Maximus!

De MIQUELLIO vero, ab ancipite morbo feliciter restituto, alia quoque praedicanda habemus, quae, quemadmodum ipsi honori, sic disciplinae, quam prae ceteris colit, emolumento fore, aequi iudices praesagiunt omnes. Nimirum praefectus est Museo botanico, quod Lugduni Batavorum asservatur. Quam vero praefecturam ea tantum conditione accepit, ut sibi liceret Traiecti habitare. Cathedram enim, cui Leidensis Academiae Curatores eum destinaverant, Traiectinae Palladi iamdudum addictus, humaniter abnuit. Quod quanto nobis omnibus gaudio fuerit, o optime! aut fallor equidem, aut vultu nostro disertius quam verbis declaratur.

Tu, carissime VREEDE, quid patria medicina valeat in domo tua nuper expertus, boni cuiusque vindex, salutiferam etiam artem, siquando necesse fuerit, nobiscum tueare.

Ad vos me converto, clarissimi KOSTER et VAN OOSTERZEE! Nostis, quam cari nobis fuerint duumviri, quorum in locum non ita pridem suf-

fecti huic ordini nostro adscripti estis. Quo vos animo receperimus, excidere memoria vestra nondum potuit. Pergite, quod facitis, eniti, desideratos ut non industria modo, sed etiam candore, benevolentia, officiis aequetis. Neque sane nostri tantum, at Academiae vel maxime causa rogo hoc et a vobis peto. Dissidia namque doctorum ut noxae sunt studiosis, ita concordia mirum quantum proficiat. Tibi, dilectissime KOSTER, cuius valetudo nonnihil afflicta fuit, ut ingenio doctrinaque permultum praestare possis, aliquando latera contingant, qualia diserto huic theologo benefica donavit natura. Tu, aestumatissime VAN OOSTERZEE, naturae beneficio ita utaris, ut aeternam veritatem intonando quasi promulges. Incolumes diu vos habeat Academia, habeat patria, habeat orbis eruditus!

Vos omnes, viri clarissimi, per longam annorum seriem ita vivatis, ut vestro maxime labore florere pergat haec Academia Rheno-Traiectina!

E civibus academicis duo iuvenes, ingenio, studiis ac moribus conspicui, quod graviter dolemus, anno superiore demortui sunt: EVERDINUS HENDRINUS BEATOR VAN SYLL et EDUARDUS IOHANNES RUTGERS. Lugeant parentes, lugeant amici, sed acquiescant in voluntate Numinis Supremi!

Vix ullus exigitur annus, quin plures obeant ex iis, quos Pallas Traiectina fovit. De his vero, qui, spatiis academicis decursis, in vitam civilem introïerint, nisi hac in Musarum sede sive professorio sive alio quodam munere functi sint, a Rectore magistratu abeunte mentio fieri non solet. Ecquis autem miretur, contra morem et consuetudinem HULLEMANNUM [100]) me commemorare, Leidensis Academiae, cum viveret, lumen, ineunte aestate tanquam in gremio almae matris non improviso quidem, at subito fere exstinctum? Meministis tristem illum diem, a COBETO, viro clarissimo, tam exquisite depictum [101]), quo cum patre, cum collegis et discipulis defuncti funeris exsequias prosecuti sumus. Quantas tum audivimus laudes! Quam singularem cognovimus amorem! Quis vestrum, Auditores, quotquot adfueritis, non toto pectore motus et fere perturbatus a tumulo discessit? Tales utinam multos proferat haec Academia viros!

Pro parte hoc nostrum erit, collegae, pro maiori vero vestrum, iuvenes ornatissimi! Nimirum non infunduntur doctrinae, sed addiscuntur, non traditur humanitas, sed generatur. Addiscere vero sine labore, generari

sine seminibus nemo nihilque potest. Itaque ludite, cursitate, saltate, equitate, quantum velitis. Ante omnia vero studiis operam navate, virtutem colite, respicite finem. Quod si feceritis, nullum dubium, quin in omnibus rebus modum habeatis. Modum autem habere sapientis est, excedere vero stulti. Non omnes profecto HULLEMANNUM aequare poteritis, poterunt autem multi, nulli vero non ad eam excoli mentis animique praestantiam, qua patriam ornent huiusque Academiae gloriam tueantur. Agite, vires intendite; quod bonum et honestum est, sectamini; fugite, quod inhumanum. Sic parentibus cari, praeceptoribus accepti, vestram ipsi, Deo favente, fortunam, civitati commoda parabitis et decus.

Alsolvi de personis. Sequuntur studiorum praesidia. De Nosocomio dixi. Dictis addi possit, eam ipsius partem, in qua LUCINAE mysteria fiunt, ceteris longe praestare.

Museum anatomicum et aliis locupletatum est et inprimis Thesauro pathologico, quem SUERMANNUS reliquit, ab eius heredibus Academiae nostrae donato. Quam quidem liberalitatem ut magni facimus, ita dolemus, propter locorum angustiam aptae speciminum dispositioni tantum adhuc deesse, ut potius inepta dici debeat. Huic autem incommodo quam primum et quam optime prospectum iri, grato erga Curatores animo praedicamus.

In laboratorio physiologico, novis licet instrumentis dotato, permulta desiderantur. Deficit inprimis locorum opportunitas, magis etiam quam antea necessaria, quandoquidem integra, qua late patet, Physiologia, multifariis experimentis observationibusque illustrata, ibidem tradi et addisci, imo vero DONDERSII nostri ingenio perfici debet et explicari.

Hortus academicus, non tantum Botanices studiosis, sed etiam civibus Traiectinis, qui naturae deliciis frui cupiant, patefactus, in optimo versatur statu. Crescit in dies plantarum numerus. In postica horti parte novum exstructum est aedificium, quod providentia Curatorum, qui Floram et Minervam aequali amplectuntur amore, cum Museo botanico destinatum est, tum etiam scholis a litterarum professoribus habendis.

In Museo, quod Historiae naturalis studiis inservit, novorum aliquot speciminum accessione lacunae quaedam expletae sunt.

Laboratorium chemicum, grate testante MULDERO nostro, tanto opere perfectum absolutumque est, ut omnia habeat, quae chemicam ad disciplinam cum tradendam, tum addiscendam et vero provehendam vel optari possint vel etiam cogitari.

Museum physicum locupletatum est egregio apparatu, a RUHMKORFFIO constructo, phaenomenis inductionis galvanicae illustrandis accommodato.

Observatorium astronomicum paucis post mensibus locupletabitur instrumento primario, scilicet telescopio decem pedes longo, quod Monachii in officina STEINHEILII conficitur. Collocatio huius instrumenti parallactica, quam vocant, OLLANDO mandabitur, mechanico Traiectino.

Bibliotheca academica, cui custos adscriptus est DIDERICUS ALBERTUS BALFOORT, vir ornatissimus, praeterquam ordinaria librorum accessione, annuis sive subsidiis sive donis, tum etiam permutatione cum exteris comparata, quam singulatim memorare non attinet, extraordinaria multum locupletata est. Primum, quod Curatoribus, viris amplissimis, acceptum referimus, e celeberrima ACKERSDYKII nostri biliotheca plures iique egregii libri partim iuridici vel oeconomici, partim litterarii argumenti coëmi potuerunt. Deinde, quemadmodum Professores haud pauci, sic etiam plures ex iis, qui summos olim in hac Academia honores consecuti sunt, operibus ab ipsis editis aliisque bibliothecam nostram ornarunt. Postremo duo nobis obtigerunt munera, quae num amplitudine magis an animo donatorum excellant, equidem affirmare non ausim. Sexcenta scilicet et quinquaginta scripta academica, auctorum fama pariter ac argumentorum gravitate praeclara, verbis amantissimis nobis obtulit HENRICUS GUILIELMUS TYDEMAN, vir clarissimus, dimidium ultra saeculum Academiae Lugduno-Batavae decus. Quod quo gratius nobis acciderit benevolentiae testimonium, eo tristior sane nuntius fuit, nuperrime perlatus, senem illum venerandum, quasi somno se daret, animam efflasse. — Qui Curatorum collegio praeest, vir nobilissimus, eques A RAPPARD, bibliothecam locupletavit opere praestantissimo, septuaginta septem in volumina diviso, quod sub titulo Diarii Asiatici thesaurum continet dissertationum de populis orientalibus, quae vere classicae habentur. Gratias accipe, vir excellentissime, quas omnium nomine tibi maximas ago, pro singulari beneficio, quo privatim etiam Academiam nostram afficere tibi placuit.

Est haec sane liberalitas generis tui nobilitate non minus quam eximio, quo flagras, doctrinarum amore dignissima. Tales utinam multi patriis Academiis contingant tutores! Tuam vitam, Praeses illustrissime, diu nobis conservet Deus Optimus Maximus!

Superest, ut honores et insignia conferam in successorem CHRISTOPHORUM HENRICUM DIDERICUM BUYS BALLOT, virum clarissimum, quem e Regis augustissimi decreto proximum in annum Academiae Rheno-Traiectinae Rectorem magnificum dico, renuntio, proclamo.

Salve, vir magnifice, iterumque salve. Munus tibi trado gravissimum. Sapienter eo fungenti propitius adsit Deus omnipotens! Universitati praefectus es cum ceteris huius generis institutis ad verum bonumque in patria nostra promovendum destinatae. Tuo moderamine suum ipsa vindicet honorem. Doctrinae sit et humanitatis genitrix fecunda, iusti honestique parens et exemplum.

DIXI.

ANNOTATIO.

---

[1]) PETRUS HOGERBEETS, anno 1642 Hornae patricia familia natus, postquam Patavii summos in medicina honores consecutus erat, artem salutarem in urbe natali feliciter factitavit usque ad annum 1599, quo peste exstinctus est. Teste THEODORO VELIO, collega iuniore quidem, at erudito quoque, HOGERBEETSIUS ille non tantum artis peritia atque humanitate excelluit, sed etiam litterarum scientia et vero dicendi scribendique facilitate plane singulari. Latine nimirum sic loquebatur, ut, asseverante IOSEPHO SCALIGERO, Romani vel aurea aetate purius loqui haud potuerint. Celeriter autem expediteque concepta tam eleganter, tam concinne, tamque limate perscribere solebat, ut alios, qui meditate rem perficerent, omnino superaret. Superabat autem oratione soluta, superabat etiam versibus. Utro genere magis valuerit, incertum videtur; ut igitur dolendum sit, tam pauca superesse tanti ingenii monimenta. Cf. *Chronijk van Hoorn*, door THEODORUS VELIUS, Edit. 4. p. 642 seq. *)

[2]) Quod universe dictum sit. Hornae namque nihil minus quam rarum erat, ubi quippe et VELIUS et HADRIANUS IUNIUS poëticis pariter ac aliis inclaruerunt. Quod quo iure factum sit, meum non est indicare. Notandum autem, PEERLKAMPIUM nostrum, idoneum sane harum rerum iudicem, IUNIUM ex choro poëtarum eiecisse, VELIUM et HOGERBEETSIUM ne nominasse quidem. Cf. P. HOFMAN PEERLKAMP, *Liber de vita doctrina et facultate Nederlandorum qui carmina latina composuerunt.* Edit. alter. Harl. 1838, p. 112 seq.

[3]) REGNERUS SNOY, honestis parentibus anno 1467 Goudae natus, in pueritia tam hebes erat, ut nihil prorsus discere posset. Opificis labores studiis anteponens fabri ferrarii curae mandabatur. At mallei gravitatis cum ipsum pertaesum esset, literis operam navare coepit, idque optimo cum eventu. Stadiis academicis primum Lovanii, deinde Bononiae decursis,

---

*) De HOGERBEETSIO ceterisque, quos laudavi, patriae medicinae vindicibus plura notare, quam in Oratione commemorari potuerunt, iis inprimis opportunum duxi lectoribus, qui minus versati sint in artis salutaris ipsorumque artificum historia.

in hac quidem urbe medicinae doctor creatus est, magnam ibi cum artis salutaris, tum etiam litterarum et philosophiae peritia, nec minus eloquentia famae celebritatem nactus. In patriam reversus primum archiater fuit ADULPHO A BURGUNDIA, Verorum in Zelandia toparchae, cuius munificentiam expertus a CAROLO V legatus est primum ad CHRISTIANUM II, Daniae Regem, deinde ad IACOBUM IV, Regem Scotiae. Posteaquam in Anglia medicinam aliquamdiu factitaverat, Goudam rediit ibique consulari dignitate ornatus ad mortem usque studiis theologicis delectatus est. De his aliisque, quae SNOYUM eiusque opera spectant, conferantur AUBERT. MIRAEI *Elog. illustr. Belg. script.*, Antverp. 1602, p. 63 seq.; Vita RENERI SNOI Goudani per IACOBUM BRASSICAM, praemissa RENERI SNOI, Archiatri, *de Rebus Batavicis*, Libr. XIII, Ed. Francof. a. 1620; VALER. ANDREAE *Bibl. Belg.*, Lov. 1643, p. 790 seq.; IO. FRANC. FOPPENS, *Bibl. Belg.*, Brux. 1739, T. II, p. 1061 seq.; PAQUOT, *Mém. pour servir à l'hist. littér. des dix-sept provinces des Pays-Bas etc.*, Louvain 1768, T. XI, p. 55 seqq.; *Beschrijving der stad Gouda* door I. W., Gouda 1713, p. 244 seqq.

[4]) ERASMI in epistola, quae invenitur in ipsius *Epistolarum* editione Basileensi, a. 1558, L. V. p. 221 seq., haec leguntur:

„Quantum reliquis mortalibus antecellit medicus, tantum ego te medicorum vulgus antecedere puto, ut tibi non modo ut medico debeam, sed ut medico in arte principi, fide rara et pene incredibili, cura et sollicitudine plus quam paterna, humanitate admirabili......... Nam arte quidem doctus es miraculo, fide magnatibus places, diligentia curaque laborantibus, humanitate miraque morum suavitate universis.” Hanc epistolam ab ipso ERASMO ad REGNERUM SNOYUM datam esse, ex editione, qua usus sum, equidem efficere non potui. Inscribitur enim: „*Erasmi epistola pro amico quodam scripta ad medicum.*” Constare tamen videtur editione Lugdunensi, ad quam provocat auctor libri iam laudati, cui titulus, „*Beschrijving der stad Gouda.*”

[5]) BERNARDUS DESSENNIUS CRONENBURGIUS natus est Amstelodami a. 1510, denatus Coloniae Agrippinae, a. 1574. PAQUOT ll. T. 13 p. 122 scribit: „BERN. DESSENIUS VAN CROONENBURCH,” WAGENAAR vero, *Beschrijving van Amsterdam*, T. III, p. 200, „BERN. DESSENIUS KROONENBURG.”

[6]) Conferantur epistolae elegantissimae MATTHIOLI et CRONENBURGII nostri in PETR. ANDR. MATTHIOL. *Epist. med.* L. II, p. 82 seqq. Ibi male legitur „DISSENIUS.”

[7]) De qua Schola conferantur ea, quae leguntur in Annot. ad HERMANNI MUNTINGHII Orationem in natalem ducentesimum Academ. Groninganae, p. 85 seq.

[8]) Quod suspicor, quandoquidem CRONENBURGIUS in laudata ad MATTHIOLUM epistola vitae suae fata breviter enarrans scripsit, postquam unum modo annum in Hollandia medicinam factitasset, a senatu Groningano „publico se aere arcessitum esse.” Non additur „ad docendum.” Docuisse tamen ipsum, diserte affirmatur a PAQUOTIO.

[9]) ADRIANUM VAN TEIJLINGEN significavi, PETRI FORESTI cognatum, de quo hic *Observ. et Cur. Med.* L. II, Observ. XXIV in scholiis atque L. IV Obs. III, Edit. Francofurt. a. 1634 p. 44 et 112, mentionem fecit. Suspicor, eundem fuisse, quocum IO. HEURNIUS Patavii studiis operam navavit, quamquam in vitae HEURNII descriptione, cuius auctor OTHO

filius est, medicus Alcmarianus dicitur. Fortasse primum Harlemi, deinde Alcmariae salutarem artem factitavit.

[10]) HADRIANUS IUNIUS (DE IONGE) anno 1511 honesto genere Hornae natus, postquam Bononiae summos in medicina honores consecutus erat, primum in Anglia, deinde Hornae, tum Harlemi, denique Medioburgi salutarem artem exercuit. Cathedrae Leidensi ipsum destinatum fuisse, legimus in IO. MEURSII *Athen. Bat.* p. 93. At ipso anno 1575 Arnemudae obiit. De vita et scriptis IUNII illius conferantur VELIUS, *Cronijk van Hoorn*, p. 637 seqq., FOPPENS, *Bibl. Belg.* T. I, p. 14 seq., COLLOT D'ESCURY, *Holland's Roem in Kunsten en Wetenschappen*, IV, 1. p. 123 seq., alii. Filius eiusdem, PETRUS IUNIUS, qui patris memoriam epitaphio cohonestavit, ipse medicus fuit artis peritissimus.

[11]) PETRUS FORESTUS (VAN FOREEST) anno 1522 nobili gente natus, postquam Lovanii, Bononiae, Patavii et Romae cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navaverat, primum in Gallia, et quidem cum Lutetiae Parisiorum, tum etiam Pythureis, deinde Alcmariae, postea Delphis, denique iterum in natali medicinam factitavit. Obiit anno 1597. De vita FORESTI, cum multis eruditis, IO. HEURNIO, GISB. HORSTIO, ANDR. VESALIO, VALERIO CORDO, VIDO VIDIO, IAC. SYLVIO, PETRO HOGERBEETSIO, aliis amicitiae necessitudine coniuncti, conferantur IO. MEURS. *Athen. Bat.* p. 97 seqq. et PAQUOT ll. T. XII. p. 75 seqq.

[12]) Peractis solennibus, quibus inaugurata fuit Academia Lugduno-Batava, asseverante MEURSIO, FORESTUS orationem pronuntiavit ad studia medicinae commendanda. Num lectiones etiam habuerit adeoque promissis steterit, quorum ORLERSIUS mentionem fecit, incertum videtur. Cf. docta commentatio cl. GER. CORN. BERN. SURINGAR de binis prioribus in Academia Leidensi medicinae professoribus, inserta diario, cui titulus: *Nederlandsch Tijdschrift voor Geneeskunde*," a. 1860.

[13]) GERARDUS DE BONT natus est in pago Gelriae Rijswijk a. 1537, denatus a. 1599. Cf. HERM. BOERHAAVE, *Index alter plantarum, quae in horto Acad. Lugd. Bat. aluntur.* P. I. p. 19 seqq., et SURINGAR, l. l.

[14]) IOANNES VAN HEURNE Traiecti ad Rhenum anno 1543 natus, postquam Lovanii, Lutetiae Parisiorum et Patavii clarissimorum virorum institutione usus erat, in universitate Ticinensi medicinae doctor creatus est. In patriam redux Traiecti salutarem artem omnium applausu factitavit, donec a. 1581 in Academia Lugduno-Batava medicinae Professor renuntiatus sit. Obiit a. 1601. Conferatur vitae descriptio ad num. 9 laudata, praemissa IO. HEURNII *Oper. Omn.*, tum etiam MEURSIUS l. l. p. 135 seqq.

[15]) „Erat Gubernator ille," sic rem enarrat OTHO HEURNIUS „Dominus de Noortcarmes ab Hispanis quibusdam veneno potionatus, unde in virulentum taediosissimum inciderat icterum. Ipse et causam morbi sui noverat et immedicabile malum esse sentiebat; ut tamen mali taedium leniretur, iubet totius regionis medicos convocari. Ubi in domo ipsius convenissent, imperat ut non omnes simul, nec etiam duo vel tres iunctim, sed singuli seorsum conclave suum ingrederentur, addens se liberum cuiusque velle audire iudicium, nec sub tyrannide contradictionis et disputationis suam salutem exponere, sibi decretum esse; ..... Singuli igitur seorsum Gubernatoris conclave ingrediuntur, priores seniores, iuniores poste-

riores; ultimus autem omnium IOANNES HEURNIUS, utpote omnibus aetate minor. Reliqui multa egregie de ictero dixerant, et praeclaros curandi modos proposuerant, sed Gubernatori nullus satisfecerat. Ultimum igitur cum videret ingredi HEURNIUM, siluit, nec de morbi historia percontanti quicquam respondit, existimans se frustra subinde interrogationibus lassari, cum nullus omnium causam ipsi etiamnum enarrasset. Mirabatur HEURNIUS interrogatum aegrum integrae mentis nihil respondere. Ad adstantes igitur se convertit. Vide, inquit, Dominum Gubernatorem defatigatum, ita ut mihi nihil respondere queat, nec ullas ansas dare, quibus latentem morbi sui indolem apprehendere possim: vos autem qui iam saepe ipsum audivistis ea commemorantem, mihi ad pauca respondete. Coepit igitur symptomata omnia examinare actionis laesae, qualitatis mutatae et excrementorum, causasque internas et externas omnes explorare, certisque indiciis deprehendit ictero ipsum laborare patriae nostrae insolenti, sed Italiae frequenti (nam plures similes ibi casus viderat), nimirum virulento, a veneno hausto. Hactenus Gubernator siluerat, at ita morbi sui intimam indolem detectam cernens, exclamat mirabundus, unicum iuvenem sibi satisfecisse, a reliquis nihil se nisi defatigationem consequutum. Reliquos igitur medicos omnes dimittit, solum HEURNIUM sanitatem suam curare iubet."

16) PETRUS PAAW (sic suum ipse nomen scripsit in libris, quos edidit,) a. 1564 Amstelodami patricia familia natus, primum Leidae, deinde Lutetiae Parisiorum in medicas disciplinas incubuit universas, in anatomen postea praesertim Rostockii, ubi doctoris gradum consecutus est. Inde ab anno 1589 usque ad 1617, quo vita cessit, in Academia Lugduno-Batava munere Professoris functus est atque tum alias medicinae partes, tum inprimis Anatomen et etiam Botanicen docuit. Cff. MEURSII *Athenae Bat.* p. 264 seq.

17) REGNERUS BONTIUS, filius GERARDI, a. 1576 Leidae natus, inde ab a. 1603 professoria dignitate ibidem Physicam docuit, ab a. 1607 ad 1623, quo diem obiit supremum, Medicinam. Cf. SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool*, T. II, p. 83 seq.

18) OTHO HEURNIUS a. 1577 Traiecti natus, patre mortuo, a. 1601 Medicinae Professor in Academia Lugduno-Batava creatus, per saeculum dimidiatum fere munere isto functus est.

19) De clinicae institutionis in Academia Lugduno-Batava initiis docte, ut solet, et diligenter tractavit cl. GER. CONR. BERN. SURINGAR in diario iam laudato, quod inscribitur „*Nederlandsch Tijdschrift voor Geneeskunde*" a. 1862. Cf. etiam SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool*, T. II, p. 109 seqq.

20) EWALDUS SCHREVELIUS anno 1575 Hagae comitum natus, inde ab anno 1624 usque ad 1647, quo demortuus est, Ordini medicorum in Academia Lugduno-Batava adscriptus fuit.

21) GUILIELMUS STRATENUS (VAN DER STRATEN sive VAN DER STRAETEN, ut in picta legitur ipsius imagine, quae asservatur in senaculo Traiectino,) anno 1593 Traiecti ad Rhenum patricia gente natus est. De vita viri huius praestantissimi conf. C. BURMANNI *Traj. erud.* p. 363 seq.

22) Certum est, in Gymnasio Patavino iam anno 1578 clinicam quamdam institutionem locum habuisse. Vix dubitandum tamen, quin, quo tempore in nostra patria fundaretur, vel exolevisset prorsus vel ad ineptias degenerasset. Conf. IAC. PHIL. TOMASINI, *Gymna-*

sium Patavinum, Utini 1654 p. 420. IAC. FACCIOLATI, *Fasti Gymnasii Patavini*, Patav. 1754 p. 215, 238 seqq., alibi.

[23]) In Oratione sive Prologo inaugurali, quo perpendit, *Quam iucunda, utilis et necessaria sit nostri cognitio per anatomen.* Titulus est: GULIELMI STRATENI, *Traiectini, in susceptam in Acad. patria Med. practicae et Anatomes professionem Prologus, recitatus* XV *Kal. April. anno* MDCXXXVI. *Ultraiecti* 1638.

[24]) „Non possum non hic multum laudare," sunt verba KYPERI, „Clarissimum et experientissimum virum Dn. GUILIELMUM STRATENUM, Reip. Ultrai. Medicum, atque ibidem Medicinae Practicae et Anatomiae Professorem celeberrimum, qui non solum, quantum in ipso est, diligentem curam in Nosocomiis aegris suis praestat, atque diaetae accuratissimam rationem observat, verum etiam ubi aegrotum astante studiosorum corona examinaverit, post ex historia istius aegri solvit quaestionem, quis sit morbus, quae eius causae, ut et symptomatum, (omissum esse videtur verbum „ratio vel significatio") quae prognosis, quae ei debeatur curatio, atque historiam ita tractatam publica disputatione ventilari permittit. Sic etenim studiosa iuventus simul modum versandi circa aegrotos addiscit, atque etiam rationem accurate historias medicas tractandi, consilia scribendi, praxinque ad particularia subiecta astringendi: cet." ALB. KYPERI Prusso-Regiomontani *Medicinam rite discendi et exercendi Methodus* L. B. 1643 p. 255. De KYPERO illo, inde ab anno 1648 usque ad 1655, quo mortalitatem explevit, in Acad. L. B. Med. Professore, cf. SIEGENBEEK l. l. T. II p. 130, PAQUOT l. l. T. I p. 296 sqq.

[25]) Postquam scilicet Archiatri titulo trium deinceps Principum Arausionensium, FREDERICI HENRICI, GUILIELMI II et III, valetudinem curaverat, anno 1674 Consul civitatis Traiectinae creatus est, quod munus, ut cetera, quam optime gessit.

[26]) ISBRANDUS DE DIEMERBROECK, Montfortiensis, anno 1609 honesto genere natus, obiit anno 1674.

[27]) Cf. IOH. GEORG. GRAEVII Oratio funebris in exequiis viri clarissimi et expertissimi ISBRANDI DIEMERBROECKII, Reip. Ultraiectinae Poliatri, ac in inclyta eiusdem Academia Med. Pract. et Anatomes Professoris Ordinarii. Habita a. d. XVII Nov. a. CIƆIƆCLXXIV.

[28]) MENELAUS WINSEMIUS, Leovardiensis, in Academia Franequerana inde ab anno 1616 usque ad 1629 Medicinae, Anatomes et Botanices Professor fuit, et quidem, teste MARTINO WYBINGA, Iuris antecessore, qui septem annos illi collega fuit, longe celeberrimus. Cff. EM. LUC. VRIEMOET, *Athen. Frisiac.* Libri duo, p. 163 seqq.

[29]) ANTONIUS DEUSING, anno 1612 Meursae natus, in Academia Lugduno-Batava primum mathematicis et philosophicis, deinde litteris, potissimum orientalibus, operam dedit, IACOBO GOLIO usus magistro. Tandem, Arabum scriptis perquam delectatus, ad studia medicinae transiit. Anno 1637 Medicinae Doctor creatus primum in natali cum artem salutarem factitavit, tum etiam mathesin docuit. Deinde in Gymnasio Velavico et hanc et physicam docendi provincia professoria dignitate ornato DEUSINGIO mandata fuit. Paulo post Hardervici quoque, ubi Archiatri titulo medicinam exercebat, ad hanc e cathedra tradendam vocatus est. Anno 1646 Groningam migravit, ubi medicam professionem in inclyta huius

urbis Academia quatuor fere lustra digne sustinuit. Anno 1666 phthisi obiit. Conff. GEORG. ABRAH. MERCKLINI *Lindenius renovatus de script. medic.* Norimb. 1686 p. 63., PAQUOT, l. l. T. 12 p. 1 seqq., BOUMAN, *Geschiedenis van de voormalige Geldersche Hoogeschool en hare Hoogleeraren*, T. I. p. 78 seqq.

[30]) Scilicet IOHANNES STALPART sive STALPERT VAN DER WIEL sive VAN DER WIELE, Medicinae Doctor, qui inde ab anno 1668 titulo Professoris Anatomico-Chirurgici Hagae Comitum Anatomen et Chirurgiam magno cum applausu docuit, anno 1683 mortuus, et frater ipsius CORNELIUS, *Observationibus*, quas edidit, *rarioribus Medicis*, *Anatomicis*, *Chirurgicis* clarus. Atque hic quidem, ut verisimiliter etiam frater, Haganus, anno 1637, aetatis XVII, civibus Academiae Leidensis adscriptus, quod, inspecto Libro Inscriptionum MS., benevole mihi communicavit Cl. SURINGAR, inde ab anno 1642 medicinam in urbe patria factitavit, idque ad senectutem usque. Cf. I. DE RIEMER, *Beschrijving van 's Gravenhage*, Delft 1730, I. 2 p. 607 seqq.

[31]) GERARDUS BLAES, secundum LENNEPIUM gente patriaque Holsatus, secundum alios in pago Oostvliet natus, primum Hafniae, duce potissimum BARTHOLINO celeberrimo, deinde Leidae medicinae studiis operam navavit. Atque hic quidem summos honores consecutus Amstelodami cum artem salutarem feliciter exercuit, tum in Athenaeo Illustri, professoria dignitate ornatus, inde ab anno 1659 usque ad 1692, quo vita cessit, medicinam egregie docuit et varia scripsit opuscula anatomen, etiam comparatam et pathologicam, illustrantia. Cf. Annotatio DAV. IAC. VAN LENNEP in Orationem IAC. PHILIPPI D'ORVILLE, in *Illustris Amstelod. Athen. Memorab.* p. 137 seqq., PAQUOT, l. l. T. 17 p. 221 seqq.

[32]) STEPHANUS BLANCARDUS (BLANKAERT) anno 1650 Medioburgi natus, in Academia Franequerana, ubi pater ipsius, NICOLAUS BLANCARDUS, Historiarum et linguae Graecae Professor erat, anno 1674 Philosophiae atque Medicinae Doctor creatus, usque ad annum 1702, quo fato functus est, artem salutarem Amstelodami factitavit et varia cum anatomici et pathologici, tum alius argumenti scripta edidit. Cff. DE LA RUE, *Geletterd Zeeland*, p. 19 seq., SAXE, *Onom. lit.* P. V. p. 242, KOK, *Vaderl. Woordenboek* in voce, alii.

[33]) IOANNES BEVEROVICIUS (VAN BEVERWIJCK) anno 1594 Dordraci natus ibique GER. IO. VOSSII disciplina classicis linguis eruditus, Leidae in litteris quidem DOMINICO BAUDIO et DANIELE HEINSIO, in medicina vero PETRO PAAWIO, OTHONE HEURNIO et AELIO EVERHARDO VORSTIO magistris usus, postquam in Gallicis universitatibus studia continuaverat, Patavii medicinae doctor creatus est. Dordraci salutarem artem non tantum exercuit, sed etiam Lectoris Chirurgiae titulo docuit. Variis praeterea muneribus praefuit, neque in natali modo, sed in universa patria, imo vero apud exteros quoque magnam nactus est famae celebritatem. Opera scilicet edidit cum medica, tum etiam historica, litteraria, poëtica multis nominibus praeclara. Diem obiit anno 1647.

Vitam et merita BEVEROVICII nuper exposuit doct. LUBACH in opere, cui titulus „*Schat der Gezondheid*," Jaargang 1863 p. 129 seq. Cff. etiam PAQUOT, l. l. T. 10 p. 116 seqq., VAN KAMPEN, *Geschiedenis der Ned. Letteren en Wetensch.* T. III. p. 66 seq., COLLOT D'ES-

CURY, *Holl. Roem in Kunsten en Wet.* T. IV. p. 323 seqq. A. J. VAN DER AA, *Biographisch Woordenboek der Nederlanden*, T. II. p. 154 seq.

[24]) NICOLAUS TULPIUS (TULP), Amstelodamensis, anno 1593 natus, in Academia Lugduno-Batava summos in medicina honores consecutus, decem amplius lustra Hollandiae metropoli varia ratione profuit. Nimirum non tantum artem factitavit, sed anatomen etiam docuit et consulari dignitate ornatus prudentia et animi fortitudine vere excelluit. Pauca scripsit, at egregia. Decessit anno 1674. Cff. PAQUOT, ll. T. I. p. 221 seqq., THIJSSEN, *Voorlezing over Nic. Tulp* (*Magazijn van* v. KAMPEN, D. III. p. 420). NIEUWENHUIS, *Algem. Woord. v. Kunst. en Wetensch. Aanhangsel*, in voce. COLLOT D'ESCURY, ll. T. VII, p. 404 seqq.

[25]) IOHANNES ANTONIDES VAN DER LINDEN, Enchusanus, anno 1609 natus, primum Leidae, deinde Franequerae cum aliis, tum medicinae studiis operam navavit. Studiis Academicis decursis, Amstelodami per novem deinceps annos artem salutarem feliciter exercuit. Defuncto MENELAO WINSEMIO, huius in locum suffectus, Franequeram migravit ibique et medicas disciplinas egregie docuit, et primariorum in republica virorum valetudinem curavit, et Bibliothecae Academicae per triennium praefuit. Anno 1651 cathedram Leidensem conscendit eandemque ad mortem usque, quae anno 1664 accidit, vere ornavit. Inter opera LINDENII, quae supersunt, inprimis memorari merentur *Libri duo de scriptis medicis* atque *Hippocratis* et *Celsi*, quas curavit, editiones. Cff. VRIEMOET, *Athen. Fris.* p. 347 seqq. SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool.* T. II. p. 130 seq.

[26]) THEODORUS IANSSONIUS VAN ALMELOVEEN, anno 1657 honesto genere Mydrechti natus, Ultraiecti cum in medicinam, tum etiam in philosophiam et litteras humaniores pari incubuit industria. Anno 1681 medicinae doctor creatus, primum Amstelodami, deinde Goudae salutiferam artem strenue atque humaniter factitavit usque ad annum 1697, quo Harderovicum vocatus est Historiae, Eloquentiae et Graecae linguae Professor ordinarius, cui quidem muneri tribus annis post accessit Professio Medicinae. Quantum ille et scholis habendis et scriptis edendis cum Academiae Harderovicenae, tum universae reipublicae litterariae profuerit, diligenter exposuit BOUMANNUS, vir clarissimus, in opere supra laudato, T. II. p. 35 sqq. Obiit ALMELOVEENIUS Amstelodami, ubi feriarum tempore commorabatur, anno 1712.

[27]) BARTHOLOMAEUS DE MOOR, Capella-Hollandus, anno 1649 natus, primum Traiecti, deinde Harderovici, postremo Leidae studiis operam dedit. Quibus, quantum ad summos in medicina honores consequendos requireretur, feliciter peractis, cum Goudae, tum Amstelodami per longam annorum seriem artem factitavit. Inde ab anno 1706 professoria dignitate ornatus primum Groningae, deinde Harderovici medicinam docuit. Vita cessit anno 1724. Cf. BOUMAN, ll. T. II. p. 63 seqq.

[28]) IACOBUS VALLAN, Amstelodamensis, anno 1637 natus; Leidae medicinae doctor creatus est, et quidem anno 1658, cum aliorum, tum inprimis HORNII et LINDENII discipulus. Artem exercuit Amstelodami. Inde ab anno 1675 in Academia Rheno-Traiectina per septem fere lustra medicinam practicam, primos muneris annos etiam anatomen docuit. Pauca scripsit, at magna fuit ipsius celebritas, quod cum ex aliis patet, tum ex iis, quae

publice declaravit unus ex optimis VALLANI discipulis, iam laudatus ALMELOVEENIUS nempe, in epistola ad WILHELMUM REYNDERS, *Notis et Animadversionibus* in CAELIUM AURELIANUM praeposita. Diem obiit a. 1720.

[39]) RUDOLPHUS LEUSDEN, IOHANNIS filius, Rheno-Traiectinus, in academia patria cum aliorum, tum inprimis IACOBI VALLANI et IOHANNIS MUNNICKSII discipulus, anno 1694 summos in medicina honores consecutus idemque artium liberalium magister creatus, inde ab anno 1703 Professoris titulo varias disciplinae partes, anatomen, chirurgiam, medicinam practicam docuit. Anno 1726 Traiectinae regionis Ordinibus adscriptus non uno nomine de republica bene meruit. Obiit anno 1764. Cf. BURMANNI *Traj. Erud.* p. 186.

[40]) IOANNES OOSTERDIJK SCHACHT, patris HERMANNI, magni BOERHAAVII celeberrimique ALBINI discipulus, anno 1704 Leidae natus, ibique cum in medicina, tum etiam in philosophia summos honores consecutus, hanc quidem Franequerae docuit, illam vero Traiecti, idque raro sane exemplo, duodecim amplius lustra. Quod quam egregie fecerit, probant, quas edidit, *Institutiones medicinae practicae*. E claris ipsius discipulis inprimis commemorari merentur filius NICOLAUS GEORGIUS OOSTERDIJK, qui primum Gelricae, deinde Lugduno-Batavae decori fuit Academiae, atque fratris natus HERMANNUS GERARDUS OOSTERDIJK, medicus Amstelodamensis idemque poëta celeberrimus. Ipse etiam SCHACHTIUS carmina latina fecit, ab artis peritis laudata. Obiit anno 1792. Cf. VRIEMOET, l. l. p. 819 seq., COLLOT D'ESCURY, l. l. III. 1. p. 229.

[41]) EVERHARDUS IACOBUS VAN WACHENDORFF, anno 1703 Ultraiecti natus, medicinam ibidem didicit a viris clarissimis, RUDOLPHO LEUSDEN, JOSEPHO SERRURIER et CHRISTIANO BERNHARDO ALBINO. Doctorum in numerum adscriptus, quod anno 1724 accidit, artem exercuit Traiecti. Simul autem, inde ab anno 1626 certe, publica auctoritate chemiam docuit. Defuncto cl. SERRURIER, medicinae, botanices et chemiae professio ipsi mandata fuit, quam ab anno 1743 ad mortem usque digne sustinuit. Obiit a. 1758.

[42]) PETRUS LUCHTMANS, Leidensis, anno 1733 natus, in Academia Lugduno-Batava cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navavit, in his quidem BERNHARDO SIEGFRIEDO ALBINO eiusque fratre FREDERICO BERNHARDO, HIERONYMO DAVIDE GAUBIO, aliis viris celeberrimis usus praeceptoribus. Sub finem anni 1758, defensa dissertatione *de saporibus et gustu*, summos in medicina honores consecutus, exeunte anno sequenti Medicinae, Anatomes et Chirurgiae Professor creatus est in Academia Rheno-Traiectina. Atque his quidem, tum etiam Arte Obstetricia atque Medicina forensi tradendis, quemadmodum egregios informavit discipulos, ita magnam sibi comparavit non in patria modo, sed apud exteros etiam famae celebritatem. Ut aliis doctrinarum societatibus, sic Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum mature adscriptus fuit, cognomine *Numisianus* appellatus, in memoriam celebris antiquitatis anatomici. Obiit anno 1800.

[43]) ALEXANDER PETRUS NAHUIJS, Monachodamensis, anno 1737 honesto genere natus, postquam Harderovici Academica spatia decurrerat ibique artium liberalium magister, philosophiae ac medicinae doctor creatus erat, primum Hornae, deinde Hagae comitum artem salutarem factitavit. Ab anno 1771 usque ad 1775 in Academia Gelrica, deinceps in Traiectina

cathedram medicam ornavit. Vir fuit multiplici consummataque doctrina conspicuus, qui cum institutione sua, tum etiam scriptis praeclaris de medicis ac physicis disciplinis in salutem civitatis optime meritus est. Obiit anno 1794. *Cf.* inprimis BOUMAN, l. l. T. II p. 341 seqq.

[44]) De HERMANNO BOERHAAVE, (sic in autographa, quam possideo, scidula suum ipse nomen scripsit, quamquam in titulo Disputationis medicae, qua defensa Doctor creatus est, legitur HERMAN BOERHAVEN) de hoc igitur e pago Voorhout Hollando, pridie Kal. Ian. a. 1669 nato, anno 1738 demortuo, qui Leidae studiis operam navavit, at Harderovici summos in medicina honores consecutus est, omnium, quotquot in patria nostra fuerunt, medicorum longe celeberrimo, cff. ALB. SCHULTENS, *Or. fun. in memoriam Herm. Boerhaavii*, L. B. 1738, HIER. DAV. GAUBII, *Oratio paneg. in ausp. sec. tertii Acad. Batavae, quae Leidae est.* L. B. 1775; COLLOT D'ESCURY, l. l. T. VII p. 422 seqq.

[45]) HIERONYMUS DAVIDES GAUBIUS (GAUB) Heidelbergensis, anno 1704 honestis parentibus natus, primum Harderovici, duce cl. BARTH. DE MOOR, deinde Leidae, praeceptore inprimis BOERHAAVIO, medicis disciplinis operam navavit. Artem fecit cum Amstelodami, tum etiam Daventriae. Inde ab anno 1731 usque ad 1775 in Academia Lugduno-Batava primum Lectoris, mox autem Professoris titulo et chemiam et medicinam docuit. Praeter orationem panegyricam iam laudatam binasque, quas habuit, *de regimine mentis, quod medicorum est*, e scriptis in lucem editis inprimis memorari merentur ipsius *Institutiones pathologiae medicinalis*, opus multis nominibus praeclarum, iniuste nostra aetate contemtum. Cff. I. BLEULAND, *Orat. inaug., qua memoria H. D. Gaubii cum omnibus, tum praesertim medicinae studiosis commendatur.* Harderovici 1791, I. G. TE WATER, *Narratio de rebus Ac. L. B.*, p. 35, 217, SIEGENBEEK, l. l. T. I, p. 297, T. II, p. 191 seqq.

[46]) IOHANNES DE GORTER eiusque filius DAVIDES DE GORTER, uterque Enchusanus, uterque Gelricae Academiae superiori saeculo decori fuit. Pater, anno 1689 natus, unus ex optimis magni BOERHAAVII discipulis, postquam tredecim annos artem salutarem Enchusae factitaverat, sex fere lustra cathedram medicam ornavit. Anno 1754 ELISABETHAE, Russicorum Imperatricis Archiater lectus, munere professorio se abdicavit. Quatuor annos Petropoli degit. Quibus exactis, valetudinis causa in patriam rediit. Vita cessit anno 1762. — Filius, anno 1717 natus, in medicis patre, in physicis IOHANNE HENRICO LOMMIO usus praeceptore, duodevicesimo aetatis anno summos in arte salutari honores consecutus atque biennio post philosophiae doctor creatus est. Eminuit inprimis botanices scientia, quam inde ab anno 1743 de cathedra docuit. Cum patre in Russiam profectus decem fere annos Archiatri munere functus est. Obiit Zutphaniae anno 1783. De vita et scriptis utriusque GORTERI quam accuratissime exposuit BOUMANNUS noster in opere saepius laudato, T. II, p. 99 seqq. p. 225 seqq. p. 153 seqq. p. 238 sqq.

[47]) GERARDUS VAN SWIETEN, anno 1700 Leidae natus, primum Lovanii, deinde in natali, duce praesertim BOERHAAVIO, cum medicis, tum etiam physicis disciplinis operam navavit. Anno 1725 summis in medicina honoribus ornatus Lugduni-Batavorum artem salutarem feliciter exercuit. A professoria dignitate, cui BOERHAAVIUS eum destinaverat, coniunctis

invidiae atque intolerantiae viribus repulsus, anno 1745 Vindobonam migravit, MARIAE THERESIAE Archiater creatus. Atque hic quidem, cum Imperatricis, tum optimatium favore adiutus, ingenio, industria artisque peritia de rebus medicis quam optime meritus est. Clinicam scilicet institutionem, eo usque cum in Austria, tum in universa Germania ceterisque regionibus, Anglia tantum excepta, prorsus fere neglectam, Boerhaavianae secutus exemplum, primus ille Vindobonae fundavit, scholam condidit praeclaram aliisque rationibus civium salutem promovit. Auctor cum aliis scriptis inclaruit, tum vero praesertim classicis *Commentariis in Herm. Boerhaavii Aphorismos de cognoscendis et curandis morbis.* Obiit anno 1772. De vita et meritis viri huius praestantissimi egregie scripsit HECKER in opere, cui titulus: *Geschichte der neuern Heilkunde*, p. 353 seqq.

[48]) ANTONIUS DE HAEN, Haganus, anno 1711 natus, egregius item magni BOERHAAVII discipulus, postquam quatuor fere lustra Hagae comitum artem factitaverat, anno 1754, commendante SWIETENIO, Vindobonam evocatus est Medicinae Professor primarius. Quod quidem munus ad mortem usque, quae a. 1776 accidit, optime gessit, consiliarii aulici, archiatri, aliis dignitatibus ornatus. Ut aliis multis, ita praesertim opere, quod edidit, primario *Ratio medendi in Nosocomio practico Vindobonensi* inscripto de arte salutari tam bene meruit, ut memoriam ipsius conservaturi sint aequi peritique rerum medicinalium iudices.

[49]) CORNELIUS ALBERTUS KLOEKHOF, Culenburgensis, anno 1715 honesto genere natus, in medicina HERMANNI OOSTERDIJK SCHACHT, Professoris Leidensis meritissimi, verisimiliter etiam BOERHAAVII discipulus, inde ab anno 1737 usque ad 1788, quo vita cessit, artem salutarem in natali magno cum applausu factitavit, scriptisque egregiis, inprimis *Opusculis medicis* a. 1747 editis atque dissertatione *de morbis animi*, quae sex annis post prodiit, tantam nactus est famae celebritatem, ut, GORTERIS in Russiam profectis, Gelricae curatoribus Academiae de meliori nota commendatus fuerit. Consulis ipsum munere functum esse, quod in Lexico biographico, a VAN DER AA edito, legitur, secundum literas, a viro consultissimo, qui municipio Culenburgensi ab actis fuit, ad me datas, archivum non probat. Cf. BOUMAN, l. l. T. II. 268.

[50]) IOHANNES HARTMANN DEGNER, Schwinfurto-Francus, anno 1687 natus, postquam in Universitate Halensi primum Iurisprudentiae, deinde Medicinae studiis operam navaverat, anno 1716 Academiae Rheno-Traiectinae civibus adscriptus, ibique LEUSDENI et SERRURIERII disciplina usus est. Anno sequenti medicinae doctor creatus, artem inprimis exercuit Neomagi, ubi non tantum civitatis archiatri, sed etiam consulis dignitate ornatus fuit, nec parvam sibi laudem peperit edita *Historia medica de dysenteria bilioso-contagiosa, quae* MDCCXXXVI *Neomagi et in viciniis ei pagis epidemice grassata fuit.* Traj. 1738. Obiit a. 1759.

[51]) IOANNES GRASHUIS, Groninganus, duodevicesimo aetatis anno. superioris saeculi scilicet decimo septimo, civibus academicis in natali adscriptus, ibidem quatuor verisimiliter annos in medicas disciplinas incubuit. Deinde Leidam migravit, ubi, BOERHAAVIO praeceptore usus, anno 1722 medicinae Doctor creatus est. Artem exercuit cum Amstelodami, tum etiam Hornae, variisque inclaruit scriptis medici et chirurgici argumenti: dissertatione *de generatione puris*, ab Academia Regia Chirurgica, quae Parisiis floruit, praemio ornata, exercitatione

medico-chirurgica *de scirrho et carcinomate*, tentamine *de colica pictonum*, aliis. Provecta demum aetate, nescio quando, vita cessit.

[52]) IANUS PETERSEN MICHELL, Amstelodamensis, anno 1781 in Academia Lugduno-Batava summos in medicina honores consecutus, unus e celeberrimis fuit Amstelodamensium medicis, qui scriptis etiam praeclaris de morbis nervosis, de febribus catarrhalibus, de cortice Peruviano aliisque argumentis posteritati semet ipse commendavit.

[53]) IOHANNES VEIRAC, Goudanus, anno 1743 natus, in Academia Lugduno-Batava cum aliis, tum inprimis GAUBIO atque ALBINO (BERNHARDO SIEGFRIEDO) praeceptoribus usus, anno 1764 medicinae doctor creatus est. Postquam septem annos primum in natali, deinde Sommelsdici salutiferam artem exercuerat, Roterodamum migravit ibique quinque fere lustra doctrina, solertia, humanitate excelluit, variisque muneribus functus est. Scripsit de hydrope pectoris, de tussi convulsiva, quam vocant, de rhachitide, de variolarum insitione aliisque argumentis, et ita quidem scripsit, ut plures doctrinarum societates eum praemiis ornarint. Cathedram Harderovicenam a GEUNSIO relictam abnuit. Obiit anno 1795.

[54]) LAMBERTUS BICKER, Roterodamensis, anno 1732 honesto genere natus, in Academia Lugduno-Batava cum aliis, tum inprimis physicis ac medicis disciplinis operam navavit, in his quidem GAUBIO, in illis vero MUSSCHENBROEKIO praesertim usus praeceptore. Anno 1757, publice defenso specimine multis nominibus egregio *de natura humana, quae medicorum est*, Medicinae Doctor creatus rediit in natalem ibique per novem fere lustra cum arte salutifera factitanda, tum alia ratione de civitate bene meritus est. Quae quanti BICKERUM fecerit, vel inde luculenter apparet, quod senatus municipalis ipsum anno 1787 Medicinae et Philosophiae Professoris honorarii titulo ornavit. Scripsit de lacte muliebri, de morbis nervosis, de variolarum insitione in coloniis Indicis, de aliis argumentis. WHYTTII etiam, PRINGLII, aliorum libros praeclaros in belgicum sermonem vertit. Permultis doctrinarum societatibus adscriptus, iisque non patriis modo, sed etiam exteris, ab ea, quae Bataviae floret, atque a Traiectina praemia reportavit.

[55]) De vita et meritis MATTHIAE VAN GEUNS conferatur inprimis elogium a cl. HERINGA conscriptum in opere periodico, cui titulus: *Algemeene Konst- en Letterbode voor het jaar* 1819 T. II. p. 339 seqq., tum etiam narratio BOUMANNI nostri in ipsius libro saepius a nobis laudato, et quidem T. II. p. 358 seqq. GEUNSIUS ille vir fuit ingenio, doctrina, nec minus industria morumque integritate conspicuus, qui cum artis usu, tum medicis informandis et vero scriptis monitisque de patria medicina quam optime meritus est. Anno 1735 Groningae natus ibique liberaliter educatus, primum in Groningana, deinde in Leidensi Academia, tum Lutetiae Parisiorum, postremo Amstelodami cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navavit, DOEVERENO, GAUBIO, SABATIERIO, LEVRETTO, CAMPERO praecipuis usus magistris. Anno 1761 summos in medicina honores in Academia Lugduno-Batava consecutus, tria fere lustra salutarem artem in natali factitavit. Inde ab anno 1776 usque ad 1815, quo rude donatus est, professoria dignitate medicinam docuit, primum Harderovici, deinde Traiecti, in utraque civitate Archiatri titulo ornatus. Obiit anno 1817, pauca relinquens, at egregia scripta, cum alia, tum inprimis commentationes de dysphagia

atque de dysenteria, quae praesertim anno 1783 in Gelria grassata est, binas Orationes *de civium valetudine reipublicae rectoribus inprimis commendanda*, utramque Harderovici habitam, itemque eam, qua munus Traiectinum auspicatus est, *de providentia politica, uno maximo civium in adversa valetudine praesidio.*

[56]) Quae de PARADISIO dixi, fidissimo GEUNSII amico, nituntur imprimis Opusculis ipsius Academicis, a filio, medico Leidensi, editis, parvi quidem voluminis illis, at vere aureis. Filius erat DAVIDIS PARADIJS, medici apud Amstelodamenses peritissimi, natus anno 1743, cognomine NICOLAUS appellatus. Linguarum literarumque, graecarum praesertim et latinarum studio ad omnem elegantiam excultus adque graviora etiam persequenda rite praeparatus in Academia Lugduno-Batava per integrum sexennium cum physicis, tum inprimis medicis disciplinis operam dedit, ducibus MUSSCHENBROEKIO, ALBINO (FRED. BERNH.), GAUBIO, aliis. Anno 1763 medicinae doctor creatus, Lutetiam Parisiorum se contulit, atque cum ibi, tum etiam Rotomagi artis peritiam complevit. Quo facto, rediit in patriam atque in ipsa metropoli quatuor lustra maximo cum civium applausu medicinam exercuit. Defuncto DOEVEREN0, Leidam vocatus, inde ab anno 1784 cum institutione, tum exemplo suo civibus academicis permultum profuit. Classica non tantum eruditione, sed mira quoque iudicii subtilitate, incomparabili sermonis elegantia, humanitate, prudentia maximam nactus est eamque meritissimam famae celebritatem. Obiit anno 1812. Conff. HERM. TOLLII *Narratio de* NICOLAO PARADISIO atque N. G. OOSTERDYKII *Prolusio ad lectiones publicas*, utraque cum laudatis Opusculis in lucem edita, tum etiam CORN. PRUYS VAN DER HOEVEN Praefatio ad partem alteram libri primi *de arte medica*. L. B. 1838.

[57]) Quamquam SEBALDUS IUSTINUS BRUGMANS artem salutarem ipse non factitavit, multis tamen nominibus de patria medicina quam optime meritus est. Praeclara nimirum botanices, chemiae, zoologiae, aliarum disciplinarum naturae cognitionem spectantium institutione medicos futuros cum egregie praeparavit, tum ad optima quaevis inflammavit. Veterinariae medicinae turpiter olim a nostratibus neglectae vera iecit fundamenta. Res medica militum causa in Hollandia constituta BRUGMANSIUM habet auctorem praecipuum. Primariam denique patriae nostrae Universitatem infelicissimis temporibus doctrina, prudentia, facundia fortiter vindicavit. Anno 1763 Franequerae natus, in Academia Groningana Artium liberalium Magister, Philosophiae naturalis ac Medicinae Doctor creatus, eximio defenso *de puogenia* specimine, primum in natali, deinde Leidae miro cum applausu professorio munere functus est usque ad annum 1819, quo vivere desiit. Cf. SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool*, T. I. p. 386 seqq., T. II. p. 280 seqq.; tum inprimis Elogia, quibus praemia reportarunt H. C. VAN DER BOON MESCH et A. CAPADOSE, in opere, cui titulus: *Werken der Holl. Maatschappij van fraaije kunsten en wetenschappen*, T. VII. p. 2.

[58]) EVERHARDUS JANUS THOMASSEN A THUESSINK, Zwollanus, anno 1762 honesto genere natus, mature vel potius praemature, si tenuem ipsius valetudinem spectamus, Gelricae civibus Academiae adscriptus, vicesimo iam aetatis anno Artium liberalium Magister et Philosophiae Doctor creatus est. Cathedram Franequeranam mox ipsi oblatam humaniter abnuit. Perrexit vero in studiis medicinae, primum Harderovici, GEUNSIO et FORSTENIO ducibus, deinde

Leidae, ubi DOEVERENUM, HAHNIUM, OOSTERDYKIUM et SANDIFORTIUM habuit praeceptores. Candidatorum in numerum receptus studiorum causa primum Lutetiam Parisiorum, deinde Londinum, postea Edinburgum petiit. In patriam redux summisque in medicina honoribus a senatu academico Lugduno-Batavo ornatus, per novem deinceps annos, partim Zwollae, partim et inprimis quidem Hagae Comitis artem salutarem religiose factitavit. Lautis conditionibus Moguntiam vocatus, ubi Professoris et Archiatri dignitate frueretur, abnuit. Abnuit itidem cathedram Harderovicenam a GEUNSIO praeceptore relictam. Accepit vero Groninganam anno 1794, eamque quinque amplius lustra ita ornavit, ut nemine fuerit inferior. Excelluit eruditione, solertia, industria. Scripsit et edidit multa eaque praeclara, practici potissimum argumenti. Atque cum his, tum disciplina sua, nec minus consuetudine et familiaritate, quam et in patria nostra et in Gallia, Germania, aliis regionibus cum optimatibus et eruditis, inprimis medicis, contraxerat, ita inclaruit famamque collectam tam egregie conservavit, ut ad extremum usque vitae honoribus cumulatus sit, quos inter tales, qui raro viris doctis contingunt. Sexagesimum aetatis annum vix exegerat, quum valetudinis causa rude donatus est, idque, singulari Regis augustissimi favore, salvo honore et stipendio. Obiit anno 1832. Cf. SIBRANDI STRATINGH *Oratio*, *publice habita Groningae a. d.* IX *Octobris* CIƆIƆCCCXXXII, *cum magistratum Academicum deponeret*, p. 18 seqq.

[59]) CONRADUS GERARDUS ONTIJD, e pago Naaldwijk Hollandus, unus e doctissimis fuit iisdemque experientissimis patriae nostrae medicis. Anno 1776 natus, postquam a solo patre, RUDOLPHO ONTIJD, verbi divini ministro, ea omnia didicerat, quibus ad academicas lectiones rite praepararetur, Leidae cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navavit, SANDIFORTIO (EDUARDO scilicet), OOSTERDYKIO, PARADISIO, BRUGMANSIO atque PUTEANO (DU PUI) praecipuis usus praeceptoribus. Anno 1797, publice defensa dissertatione *de morte et varia moriendi ratione*, Medicinae Doctor creatus Londinum petiit, ut in amplis huius civitatis nosocomiis maiorem sibi pararet cum chirurgiae, tum etiam artis obstetriciae peritiam. In patriam redux Hagae Comitis per longam annorum seriem artem salutarem exercuit, felix omnino meritis. Neque tantum opem ferendo laborantibus, sed etiam scribendo scriptisque in lucem edendis magnam cum apud nostrates, tum apud exteros nactus est famae celebritatem, quae quemadmodum a Rege augustissimo, sic ab honoratioribus quibusvis atque a praecipuis doctrinarum societatibus luculenter probata fuit. Praeter dissertationem iam laudatam, multis nominibus praeclaram, quae Anglicum in sermonem translata fuit, scripsit de insitione variolae vaccinae, de phthisi pulmonum, de cholera Asiatica, de suicidio, de vi vitali cum aliis viribus comparata, de rebus medicis in patria nostra ordinandis, de aliis. Obiit anno 1844.

[60]) ANTHONIUS MOLL, anno 1786 natus in oppido Maassluis, ubi pater ipsius in coetu reformato sacrorum antistes erat, iisdem in Academia Lugduno-Batava, quibus ONTYDIUS, usus est adeoque optimis magistris. Anno 1806, defensa dissertatione *de theoria sic dicta incitationis* summos in arte salutari honores consecutus, primum per quatuor lustra Neomagi, deinde Arnhemiae medicinam feliciter exercuit, doctrina, humanitate, ardore insignis. Praeter multa Diariis inserta, illi praesertim, cui titulus: *Practisch Tijdschrift voor de geneeskunst*

in al haren omvang, door A. MOLL *en* C. VAN ELDIK, duo edidit opera primaria, quorum alterum inscribitur: *Handboek tot de leer der teekenen van gezondheid en ziekte*, alterum: *Leerboek der geregtelijke geneeskunde*. Scripsit praeterea de contagiis acutis, de cholera Asiatica, de balneo marino, de aliis.

[61]) GUILIELMUS FREDERICUS BÜCHNER, Reinhemia-Hassus, anno 1790 natus, cum rei medicae militari destinatus esset, primum patruo, peritissimo Campensium medico eidemque Anatomes et Chirurgiae Lectori in disciplinam traditus, deinde in Academia Lugduno-Batava studiis operam dedit. Anno 1796 inferiore, 1799 vero altiore dignitatis gradu medicis militaribus adscriptus, duobus annis post in universitate Wurzburgensi Medicinae et Chirurgiae Doctor creatus est. Salvo honore a militia dimissus inde ab anno 1802 cum in civitate Goudana, ubi domicilium collocaverat, tum in pagis et oppidis vicinis artem salutarem optimo cum successu factitavit. Practico prae multis ingenio praeditus, eminuit inprimis singulari cum diagnostices, tum etiam therapeutices peritia. Neque aegris tantum curandis, sed etiam libris scribendis variisque muneribus fungendis per longam annorum seriem de civitate quam optime meritus est. E scriptis, quorum plura praemiis ornata sunt a doctrinarum societatibus, quibus adscriptus erat, inprimis laudari merentur commentationes de praesidiis, quibus noxae praeverti possint a solis recens exsiccatis metuendae deque morbis in Hollandia septentrionali inde ortis, alia de motu intestinorum antiperistaltico, atque opus primarium, cui titulus: *Geneeskundig Handboek voor beginnende kunstoefenaren*." Anno 1855 defuncti memoriam conservarunt cognati gratique amici statua ponenda in nosocomio Goudano.

[62]) MICHAËLIS IACOBUS MACQUELIJN, unus ex aestimatissimis, quos Leidae habui, praeceptoribus, anno 1771 Delphis Batavorum natus, postquam in Academia Lugduno-Batava Medicinae Doctor creatus erat, eorumdem ac triumviri proxime memorati professorum discipulus, triginta fere annos artem salutarem in urbe patria factitavit, idque magno cum civium applausu. Anno 1824 KRAUSSIO, viro clarissimo, suffectus in eadem, quae ipsum foverat, universitate medicinam docuit, donec aetatis causa rude donaretur. Obiit anno 1852. Vir fuit integerrimus, multis ingenii dotibus excellens, medicus et pharmaceuticus experientissimus, agilis, hilaris, doctor academicus industrius, scriptor copiosus. Praeter dissertationem *de vomitu*, qua summos in medicina honores consecutus est, commentationem scripsit *de lenta et difficili dentitione*, quae praemium reportavit ab Academia regia Madritensi. Cum doctt. A. VAN STIPRIAAN LUISCIUS, C. G. ONTIJD et J. VAN HEEKEREN horreum medicum edidit belgice dictum *Geneeskundig Magazijn*, cui plures inseruit observationes a semet ipso factas. Etiam acta societatis Hornanae, cui titulus: *Vis unita fortior*, ne de aliis loquar, continent quaedam Macqueliniana. Cf. G. J. VERDAM Oratio, qua magistratum Academicum deposuit, in Ann. Acad. 1852—1853.

[63]) HENRICUS FRANCISCUS THIJSSEN, Amstelodamensis, primum Athenaei, quod metropolin ornat, deinde Academiae Lugduno-Batavae probatissimus alumnus, in physicis SWINDENIO, in medicis inprimis BONNIO, VROLIKIO, PARADISIO praeceptoribus usus, anno 1810 Leidae Medicinae doctor creatus est. Artem exercuit Amstelodami, neque exercuit tantum, sed

etiam docuit, professoria dignitate duobus ante mortem annis Scholae Clinicae recens constitutae adscriptus. Opera, quae reliquit, praeclara: Specimen Academicum *de σφυγμολογία seu pulsus doctrina*, Commentatio historica de morbis patriae nostrae endemiis, Dissertatio de febribus autumnalibus Amstelodamo propriis, Oratio de NICOLAO TULPIO, alia, quemadmodum industriam et humanitatem, sic ingenii praestantiam ac veram eruditionem auctoris satis superque probant. Obiit anno 1830, aetatis XLII. Cf. *Algemeene Konst- en Letterbode voor het jaar* 1830, p. 35 seq.

[64]) ALEXANDER NUMAN, anno 1780 natus in pago Groningano Baflo dicto, ubi pater ipsius sacrorum antistes erat, privata disciplina ad academicas lectiones praeparatus, in universitate Groningana, DRIESSENO praesertim et THUESSINKIO ducibus, in artem et scientiam medicam incubuit summoseque ibidem honores anno 1804 consecutus est. Octodecim deinceps annos in florentissimo pago Hoogezand aliisque vicinis et medicinam et artem obstetriciam factitavit, simulque studiis operam dedit cum aliis, tum etiam oeconomicis et veterinariis. Quorum quum fama percrebruisset, anno 1822 Scholae Veterinariae Traiecti constitutae praefectus est, professoria dignitate ornatus. Et ab eo quidem inde tempore usque ad annum 1850 cum regundo, tum docendo, nec minus scribendo de patria disciplinisque optime meritus est. Quod uti Rex augustissimus, ita complures doctrinarum societates nullique non docti bonique luculenter agnoverunt. Obiit anno 1852. De vita et scriptis NUMANNI, humanitate pariter ac doctrina conspicui, conferantur inprimis ea, quae GUIL. VROLIK, vir clarissimus, enarravit in actis Academiae Regiae Scientiarum, (*Verslagen en Mededeelingen der Kon. Academie van Wetenschappen*). T. I. p. 91 seqq.

[65]) FREDERICUS SIGISMUNDUS ALEXANDER, Neomagensis, in Academia Lugduno-Batava cum aliorum, tum inprimis BRUGMANSII disciplina excultus et eruditus, unus e doctissimis fuit, quibus patria nostra gloriatur; medicis militaribus, de millenis aegrotantibus, de Schola Traiectina, cui quatuordecim annos praefuit, de ipsa, quam docuit, arte scriptis praeclaris optime meritus. In medicina quidem Leidae summos consecutus est honores, idque defensa dissertatione *de tumoribus nervorum*, chirurgiae vero doctor honoris causa creatus est a Senatu Traiectino. Ad altissimum fere dignitatis gradum in medicina militari pervenit, ipsiusque Academiae Rheno-Traiectinae Professor honorarius dictus est. Anno 1843 rude donatus Amstelodamum migravit ad docendum medicinam in Schola Clinica ibidem florente. At sequente iam obiit, aetatis quinquagesimo octavo. Publice huius viri memoriam celebravit HERMANNUS BOUMAN, in Oratione anno 1845 habita, quum Academiae Rheno-Traiectinae regundae munus iterum poneret. Cui quidem Orationi subiunxit notationem scriptorum, quae in lucem edenda curavit ALEXANDER.

[66]) IANUS ISAACUS WOLTERBEEK, Rheno-Traiectinus, anno 1773 natus, missis, quibus a patre, sacrorum antistite, destinatus fuerat et operam aliquamdiu navaverat theologicis studiis, duce praesertim GEUNSIO celeberrimo, medicinam didicit. Anno 1796, defensa dissertatione *de gangraena*, summis honoribus ornatus, artem salutarem dimidium ultra saeculum Traiecti factitavit, eandemque inde ab anno 1817, quo DYLIO suffectus est, ad 1839, quo munus professorium abdicavit, in hac Academia docuit. Obiit anno 1858. Medicus

fuit cum doctrina, tum usu consummatus, animi candore probitateque candidis et probis acceptus. Praeter dissertationem laudatam binasque Orationes Academicas, alteram *de natura observanda et prudenter imitanda, summo medici officio*, alteram *de naturae humanae constantia ad praestantiam medicinae vindicandam et vero ad ipsam medicorum fortitudinem sustinendam egregie adhibenda*, nulla scripta edidit. Cf. GER. IO. MULDERI Oratio, a. 1854 habita, quum magistratum academicum deponeret; tum etiam Memoria, quum vernaculo sermone conscripsit doct. H. J. BROERS, edita in opusculo, cui titulus: *Utrechtsche Studenten-Almanak voor het jaar* 1854.

[67]) IACOBUS VOSMAER, Haganus, eximius partim Gelricae, partim Traiectinae Academiae alumnus, postquam artem salutarem cum Harlemi, tum etiam Zutphaniae septem et quod excurrit annos, feliciter factitaverat, primum in Athenaeo Harderovicено, deinde in Academia Rheno-Traiectina magno cum peritorum applausu medicinam docuit. Vir fuit eruditissimus, animi simplicitate, iudicii acumine, industria, humanitate, aliis nominibus praeclarus. Literis excultus, in physicis non minus quam in medicis versatus, factis scriptisque de civitate egregie meritus est. Quantum autem discipulis profuerit, eleganter exposuit GER. IO. MULDER in epistola ad FRANC. ADR. SNELLEN, virum doctissimum, praemissa VOSMAERII *Institutionibus Semioticis*, quas anno 1828 edendas curavit. Obiit anno 1824, aetatis quadragesimo secundo. Cf. J. P. L. SCHRÖDER Oratio in Ann. Acad. Rheno-Traiect. a. 1824—1825, tum etiam G. NIEUWENHUIS, *Alg. Woordenb. van Kunst. en Wet.* in voce.

[68]) NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY, e pago Overschie Hollandus, praestantissimus cum aliorum, tum inprimis BRUGMANSII, SANDIFORTII, VOLTELENI ac PARADISII discipulus, in Academia Lugduno-Batava medicinae doctor creatus, inde ab anno 1795 usque ad 1844, aetatis 75, quo vita functus est, et civitatem et provinciam et Academiam Traiectinam perquam ornavit. Non tantum enim artem salutarem feliciter exercuit rebusque medicis egregie praefuit, sed varias cum physicas, tum medicas disciplinas accurate docuit easque scriptis praeclaris auxit et perfecit. „Ea fuit ille πολυμαθίᾳ," sunt verba BOUMANNI, disertissimi FREMERYI laudatoris, „ea eruditionis copia ac varietate, ut ipsum adspiciens sponte „imaginem mihi repraesentarem antiquorum illorum, qui aureum Reipublicae nostrae seculum illustrarunt, Medicorum," Cf. HERM. BOUMAN Oratio supra laudata, p. 43. seqq., tum etiam biographia, quam ALB. KOPSIUS, vir doctissimus, inserendam curavit operi periodico, cui titulus: *Nederl. Lancet* A. VII. p. 495 seqq.

[69]) BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN, Harlemensis, unus e dilectissimis GEUNSII discipulis, vir singularis, medicus humanissimus, chirurgus dexterrimus, dimidium amplius saeculum artem salutarem cum factitando, tum tradendo, quemadmodum de civitate, sic etiam de patria medicina et vero de binis, quas ornavit, Academiis, Gelrica scilicet et Traiectina, quam optime meritus est. Filius ipsius natu minor, ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS, quo meliorem alumnum Academia Rheno-Traiectina nunquam habuit, tantis excelluit ingenii dotibus, tam copiosa tamque accurata doctrina, ut maxime dolendum sit, mortem praematuram impedivisse, quominus et almae matri, cui recens Medicinae Professor adscriptus erat, et vero patriae disciplinisque, quod idonei harum rerum iudices omnes exspectabant, permul-

tum prodesset. Atque de hoc quidem, anno 1840, aetatis tricesimo secundo, demortuo, cff. P. O. C. VORSSELMAN DE HEER, *Levensberigt van den Hoogleeraar A. C. G. Suerman*, in opusculo, cui titulus: *Utrechtsche Studenten-Almanak voor het jaar* 1841; HENR. EGB. VINKE Oratio, anno 1840 habita, quum magistratu Academico abiret, eaque, quam cl. ROVERS pronunciavit, d. XVII Iunii a. MDCCCLXI, qui natalis erat Acad. Rheno-Traiectinae ducentesimus vicesimus quintus. Patri, anno superiore defuncto, et ipse nuper parentavi in Memoria, quam cives academici typis describendam curarunt, et vero ROVERSIUS iustissimos tribuit honores in Oratione, qua Rectionis munus anno 1862 posuit.

[70]) De vita FALCOBURGII, quo nomine ADRIANUS VAN VALKENBURG significari solet, pauca modo cognita sunt. Constat, ipsum a. 1581 honestis parentibus Leidae natum, quadragenarium demum in Academia Lugduno-Batava summos in medicina honores consecutum esse; quatuor autem annis ante, PETRO PAAWIO defuncto, iam anatomicas, continuo vero postquam doctor creatus esset, pro REGNERO BONTIO medicas etiam scholas habuisse; ab anno denique 1624 usque ad 1650, quo decessit, Professoris Chirurgiae titulo cum hanc, tum etiam Anatomen diligenter tradidisse. Quamquam chirurgicae FALCOBURGII lectiones tantummodo theoreticae fuisse videntur, ex titulo tamen, quo primus omnium ornatus est, equidem suspicor, vi vocis ipsum chirurgum fuisse. Cf. ED. SANDIFORT, *Mus. Anat. Acad. Lugduno-Bat. Introduct.* p. VII. seq., G. C. B. SURINGAR, *Stichting der school voor klinisch onderwijs te Leiden enz.* in opere iam laudato, cui titulus: *Nederl. Tijdschrift voor Geneesk.*, Jaarg. 1862.

De maatschappij mag hare eischen in dit opzigt hoog stellen. Zij kan veel vorderen van den geneesheer, die, om de woorden van den Utrechtschen Senaat te bezigen „zoo grooten invloed kan uitoefenen, niet alleen op de gezondheid, maar op het geheele ligchamelijk en zedelijk leven der huisgezinnen, waarin zijn hulp wordt verlangd, en die daarom een mensch moet zijn, zoo veelzijdig ontwikkeld, zoo vrij van vooroordeelen, zoo door den omgang met allerlei behoeften, en rigtingen, en karakters geoefend, als men dit worden kan alleen aan eene hoogeschool."

Het voorname doel van het onderwijs in de algemeene ziektekunde moet

niettemin blijven, de anatomie en physiologie, in den uitgebreidsten zin, te doen erkennen als de grondslagen der geneeskundige wetenschap. Dat streven grondt zich op de onloochenbare getuigenis der geschiedenis, en op de resultaten van de beoefening der wetenschap in onze dagen.

Er moge nog een doolhof van duistere en onverklaarde ziekten bestaan, waaromtrent wij nog naauwelijks vermoeden kunnen, hoe anatomie en physiologie er de draad van Ariadne voor worden zullen; de toepassingen onzer verkregen kennis op de genezing der ziekten mogen nog zeer schaarsch zijn — toch gaat de ziektekunde rustig op den ingeslagen weg voort, overtuigd dat het de eenige ware is om de geneeskunde, zoo het ooit kan geschieden, te maken tot eene positieve natuurkundige wetenschap. Wie zich dus ergert aan het schijnbaar nutteloos en onpraktisch streven van vele onderzoekers, miskent de beteekenis eener rigting, welke op grond van geschiedenis en ervaring, vooruitgang en verlichting ten gevolge moet hebben. Wie te spoedig resultaten wil, wie de schouders ophaalt bij het mikroskopiseren, en het onderzoeken van lijken, en op ironieschen toon vraagt, of er nog ooit een lijder door van den dood gered is, geeft blijken van bekrompenheid en beperkten blik. De wetenschappelijke man poogt verder te zien, en, moge het gebrekkige onzer tegenwoordige kennis, en het onvoldoende zijner pogingen hem vaak bedroeven, de overtuiging van in de goede rigting werkzaam te zijn, doet hem hoopvol het oog op de toekomst vestigen, en met nieuwen moed zich inspannen, om, al is het ook maar een enkelen steen, bij te dragen tot het oprigten van het gebouw der geneeskundige wetenschap.

Dat ik geroepen werd om de wetenschap, van wier beteekenis en strekking ik een korte schets heb gegeven, aan deze Hoogeschool te beoefenen, en door onderwijs te verbreiden, is het gevolg van uwe vereerende keuze, Edel-groot-achtb. H. H. Curatoren. Wanneer ik u hier openlijk mijn dank betuig voor het vertrouwen dat gij in mijn ijver en krachten gesteld hebt, geschiedt het met een gevoel van weemoed en van angstvalligheid. Van weemoed, bij het herdenken aan mijn voorganger, den waardigen, en zoo teregt algemeen geachten SCHROEDER VAN DER KOLK — van angst-

valligheid, daar ik, in plaats van zijne uitstekende verdiensten en beproefde bekwaamheden, nog slechts jeugdigen ijver en ernstige voornemens kan aanbrengen.

Ik zal niet trachten u de vele talenten, en de groote wetenschappelijke verdiensten van SCHROEDER VAN DER KOLK voor oogen te stellen. Een bevoegder hand dan de mijne [1]) deed het op uitnemende wijze bij het schetsen van zijn leven, en het zou overbodig zijn voor u, die hem waardeerdet als uitmuntend leeraar, als ijverig natuuronderzoeker, als wetenschappelijk mensch in den ruimsten zin des woords, als bevorderaar van den roem dezer Hoogeschool. Gij gevoelt het daarom dat het iets meer dan eene gewone uitdrukking van bescheidenheid is, wanneer ik u verzeker, dat ik met eenigen schroom de gewigtige betrekking aanvaard, waarin SCHROEDER VAN DER KOLK mijn voorganger was. Eene eenigzins gewijzigde verdeeling der werkzaamheden heeft een gedeelte van zijn onderwijs in de handen van den Hoogleeraar DONDERS doen overgaan. Ik zal niet met vele woorden, welke noodzakelijk lofspraken zouden moeten worden, het wenschelijke dier schikking betoogen. Gij stemt het mij toe, dat de Hoogeschool en de studerende jongelingschap er slechts bij winnen kunnen.

De wetenschappen, wier beoefening mijn taak zal zijn, werden echter ook bij voorkeur door mijn voorganger beoefend, en vele, zijner met roem in ons Vaderland, zoowel als elders, bekende geschriften, kunnen tot bewijzen dienen van zijne zeldzame werkzaamheid en ijver, van zijne scherpzinnigheid en vindingrijken geest, van zijn ruimen wetenschappelijken blik. Het zou eene groote mate van verwaandheid verraden, indien ik meende, het verlies dat de Hoogeschool door zijn overlijden trof, terstond te kunnen vergoeden. Maar het schijnt niet te vermetel, in zijn voorbeeld een spoorslag te vinden, om met ijver werkzaam te zijn, en te trachten het vertrouwen, dat gij in mij gesteld hebt, niet te zeer te beschamen.

---

[1]) Levensberigt van J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK door W. VROLIK. Jaarboek der Koninklijke Akademie van Wetenschappen voor het jaar 1862.

Slechts uwe welwillendheid en uwe vermogende hnlp kunnen mij in staat stellen daarin naar wensch te slagen, en het schoone doel te bereiken dat ik mij voorstel: de studie der ontleedkunde en der ziektekunde aan deze Hoogeschool te doen bloeijen en ontwikkelen. Mèt vertrouwen beveel ik daarom de inrigtingen, welke met dat onderwijs in verband staan, in uwe voortdurende zorg aan. Onder uw bestuur moge de Utrechtsche Hoogeschool de plaats zijn, waar de geneeskundige wetenschap grondig beoefend wordt, en, tot heil der menschheid meer en meer vooruitgaat.

Het zou mij moeijelijk vallen, de gewaarwordingen te schilderen, welke ik ondervind, wanneer ik u, Hooggeleerde Heeren Hoogleeraren! thans openlijk als mijne ambtgenooten begroet. Het zijn gevoelens van vreugde over die eervolle onderscheiding aan de eene, van beschroomdheid en twijfeling aan de andere zijde. Aan velen uwer nog weinig bekend; opziende tegen de groote verpligtingen, en het moeijelijk streven, hem opgelegd door zijne plaats in uwe rei, door zijn taak naast de uwe, welke reeds door de ondervinding gebleken is aan zoo bekwame handen te zijn toevertrouwd, mag de jeugdige aanvanger op den uitgestrekten loopbaan der wetenschap wel met eenige bezorgdheid voor zich zelven de toekomst te gemoet zien.

Naast die gewaarwordingen doen zich echter de levendige en frissche indrukken gevoelen van de welwillende ontvangst, mij bij zoo velen uwer te beurt gevallen, van de ondubbelzinnige blijken der belangstelling en genegenheid, waarmede gij mij in uwen kring wilt opnemen. In het vooruitzigt uwer hulpvaardigheid, uwer toegenegene gezindheid, uwer vriendschappelijke raadgevingen, treden de schroomvalligheid en het wantrouwen van eigen krachten op den achtergrond, en opent zich het verschiet eener aangename onderlinge verhouding, eener wederzijdsche belangstelling in elkanders studiën, van een gemeenschappelijk werken tot het verkrijgen van kennis en waarheid.

Één band — dat durf ik wel beweren — verbindt ons thans reeds: de lust tot onderzoek en arbeid, het ijverig streven naar het licht der weten-

schap. Daarin kan de grondslag gelegen zijn voor de schoone toekomst, welke ik mij voorstel. Verleent mij uwe hulp, wanneer ik van mijne zijde pogen zal, uwe achting en vriendschap te verwerven.

Ik weet het wel dat ik op verre na nog niet zijn kan, wat mijn voorganger, als beoefenaar der wetenschap en als vriend, voor zoo vele uwer geweest is. De ledige plaats van SCHROEDER VAN DER KOLK in uw midden moge door mij aangevuld worden, in uw hart blijft gij het gemis van zulk een ambtgenoot diep gevoelen. Maar houdt het uitzigt op dezelfde belangstelling en vriendschap, welke u aan hem verbonden, voor mij geopend, en met vreugde en hoopvolle verwachting zal ik mij inspannen, om met u werkzaam te zijn aan de ontwikkeling der wetenschap, en den bloei onzer Hoogeschool.

Uwe aanwezigheid te dezer plaatse, Hooggeleerde HALBERTSMA! vervult een mijner innigste wenschen. Ik zal niet breed uitweiden over hetgeen gij voor mij geweest zijt, toen ik drie jaren onder uwe leiding vooral de ontleedkunde van den mensch beoefende. Ik wil u geene ijdele loftuitingen toezwaaijen over uwe verdiensten als wetenschappelijk ontleedkundige. De schoone inrigting voor ontleedkundig onderwijs, welke een sieraad van Leiden's Hoogeschool vormt, en vooral door u werd wat zij is, en de alom erkende degelijkheid van uw onderwijs zijn er bewijzen genoeg van.

Maar ik wil u dank zeggen voor uwe belangstelling, voor uwe raadgevingen, voor uwen vriendschappelijken omgang, waarin ik mij zoo zeer verheugde, en welke, met de opregte vriendschap van den kundigen en talentvollen BOOGAARD, mijn verblijf te Leiden een der aangenaamste tijdperken van mijn leven hebben gemaakt. Ik acht het een gelukkige omstandigheid, dat ik tot het onderwijs der ontleedkunde geroepen word, na met u ontleedkunde beoefend te hebben; en ik stel mij van eene voortdurende wetenschappelijke en vriendschappelijke betrekking tusschen ons, veel goeds en aangenaams voor. Blijf mij daarom dezelfde gezindheid toedragen. Het zal mijn ernstig streven zijn, steeds uw vriend te mogen blijven.

Met vreugde begroet ik ook bij deze plegtigheid zoovele belangstellende vrienden, van heinde en verre opgekomen. Met u Zeergeleerde Heeren MOLEWATER [1]), POLANO en SCHMIDT mogt ik eenige jaren werkzaam zijn in eene inrigting, waar mij zulk eene schoone gelegenheid tot ziekenwaarneming, en tot ziektekundig-ontleedkundig onderzoek werd aangeboden. Dankbaar herdenk ik er aan, hoeveel vruchten ik daarbij plukte van uwe ruimere ondervinding, en rijke geneeskundige kennis. Met welgevallen bemerk ik het nog zoo dikwijls, dat onze vriendschappelijke omgang niet alleen voortgebragt werd door gemeenschappelijke werkzaamheden en wetenschappelijke oefeningen, maar dat een hechte band van belangstelling en vriendschap ons heeft blijven vereenigen. Op het voortduren dier wederzijdsche gezindheid stel ik den hoogsten prijs.

Niet minder geldt die groet u allen, vrienden van vroegeren en lateren tijd. Hoe streelend is het denkbeeld dat onze gewaarwordingen weerklank vinden bij zoo vele anderen; dat er onder alle omstandigheden des levens harten voor ons kloppen, die in ons geluk eene vermeerdering hunner levensvreugde vinden, en bij teleurstellingen of rampen door woord en daad den zinkenden moed weder opwekken.

Moge onze belangstelling in elkanders wetenschappelijke studiën steeds licht verspreiden over onzen levensweg, en de warmte van het vriendenhart voege daarbij hare koesterende stralen, om ons zóó de hoogste genietingen des levens te schenken.

Gij, waarde vader! smaakt op dezen dag een genot dat door geen woorden kan omschreven worden. Want ik weet dat het geluk uwer kinderen voor u het hoogste genot, de zoetste belooning van uw streven is. Door belangstelling en aanmoediging hebt gij mijne studiën bevorderd, door raadgeving en vaderlijke zorg mij gesteund en geholpen. De herinnering aan ieder mijner vroegere levensdagen is mij eene verlevendiging

---

[1]) Dr. MOLEWATER was verhinderd de plegtigheid bij te wonen.

van uwe liefde, en stelt mij ontelbare blijken uwer onvermoeide pogingen voor mijn welzijn voor den geest. Heeft mijne bevordering tot een eervollen en aangenamen werkkring de kroon gezet op die pogingen, niet minder moge in de toekomst uw levensgenot steeds door aangename indrukken worden verhoogd. Daarin ligt de wensch opgesloten voor uw huisselijk geluk, waarmede dat uwer kinderen zoo naauw verbonden is.

Met gretigheid en met vertrouwen wend ik mij ten slotte tot u, Wel-Edele Heeren Studenten aan deze Hoogeschool. Wij mogen elkander nog zoo goed als onbekend zijn, toch onbreekt het niet aan vereenigingspunten tusschen ons; en er zijn vele omstandigheden welke mij met zekerheid doen verwachten, dat er al ras tusschen u en mij wederzijdsche welwillendheid en genegenheid ontstaan zullen. De leeftijd kan geen noemenswaardig verschil tusschen ons vormen; verschil van streven en bedoelingen kan ons geenszins scheiden. Want ons aller begeerte is: kennis en ontwikkeling. Dat blijft de begeerte van elk wetenschappelijk mensch, hij moge aanvanger in het beoefenen der wetenschap; hij moge in vergelijking met anderen ver gevorderd zijn. Het menschelijk weten toch wordt nimmer volkomen; maar wie langer gearbeid, wie reeds zooveel mogelijk verzameld heeft, kan van zijnen oogst mededeelen aan anderen die nog pas hun veld gaan beploegen. Hij kan voor hen de moeijelijkheden verminderen, door opmerkzaam te maken op de beste wijze om ze te overwinnen; hij kan den weg aanwijzen, welke het aangenaamst en het veiligst is. Zietdaar, hoe ik mij de verhouding voorstel tusschen Studenten en Hoogleeraar.

Maar daarom vraag ik van u in het bijzonder, studenten in de geneeskunde, tracht gij de overeenstemming, welke ik reeds tusschen ons meen te zien, te versterken door belangstelling in, en ijver voor uwe wetenschap, door mij met welwillendheid en genegenheid te ondersteunen, wanneer ik van mijne zijde zal pogen uwe studiën te leiden, te veraangenamen, en zoo vruchtbaar mogelijk te maken. Gij hebt het in dit uur gehoord, hoe stelselzucht en slaafsche navolging de ontwikkeling der wetenschap belemmerden. Het kan mijn doel dus alleen zijn, te trachten u

den regten weg aan te wijzen tot zelfstandige en vrije studie. Want vrijheid is de leus, waarmede elk weldenkend mensch instemt, wanneer zij vol en hoog ons uit de studentenborst en het studentenleven tegenklinkt. Eigen onderzoek en vrijheid van redenering — wie zou ze in onze dagen niet vereeren. Alleen de banden der orde en der waarheidsliefde blijft de geest daarbij als noodzakelijk erkennen. Op u, edele jongelingen, wier bestemming en wier lust de beoefening der wetenschap is, rust in het vervolg de schoone taak, die beginselen toe te passen en te verspreiden. Zoo gij er naar streeft, daarvoor bij uwe akademische studiën den grondslag te leggen, zullen wij te zamen met zelfvoldoening arbeiden aan de bevordering van onze wetenschappelijke ontwikkeling en van den roem der Utrechtsche Hoogeschool.

IK HEB GEZEGD.

ORATIO

DE

SCEPTICISMO, HODIERNIS THEOLOGIS CAUTE VITANDO,

QUAM HABUIT

IOHANNES IACOBUS VAN OOSTERZEE,
THEOLOGIAE DOCTOR,

A. D. XXX IANUARII, A. CIↃIↃCCCLXIII,

QUUM IN

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

THEOLOGIAE PROFESSIONEM ORDINARIAM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

26

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

DOCTRINARUM ET ARTIUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, LECTORES DOCTISSIMI!

QUI IN HAC PROVINCIA ET URBE POTESTATE ET AUCTORITATE ESTIS CONSPICUI, VIRI GRAVISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ATQUE DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, DOCTISSIMI!

HUIUS ACADEMIAE ALUMNI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS CUIUSCUMQUE LOCI, ORDINIS AUT DIGNITATIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quam discipulis aliquando optimus Magister commendavit, accurata temporis signorum observatio [1]), nemini certe magis convenit atque conducit, quam Theologo, munus Academicum solemni ritu auspicaturo. Quis nauta tutum portum relinquet, quum undique procellas imminentes mareque turbido aquilone conquassatum iam videt! Quisnam agricola tam plane rusticus erit, ut ad aratrum manum immittat, quando omnia in aëre atque terris praesagia inceptum dissuadere videntur! Mihi vero quum non amplius liceat haesitantem pedem referre, num miramini, Auditores, me non sine magna trepidatione in cathedram hanc adscendisse, imo me nunquam animo magis commoto publice verba fecisse? Verum enim vero, aut ego ineptus sim, aut si mea iam vice oculos ad temporum signa converto, undique voces mihi audire videor infausta ominantium, et cum Iesu aequalibus repetentium: hodie tempestas, rubente tristissimo coelo! Profecto,

[1]) Matth. XVI: 3.

quod ante hos viginti sex annos ex ipsissimis hisce studiosorum subselliis, clarissimum VINKE in Orationis Inauguralis introitu dicentem audivi: „escendi igitur equidem in cathedram hancce, at quonam sim animo, non est quod dicam, nam vultus et vox et artuum tremor me produnt," hoc ipsum de me, praeclari viri discipulo, affirmare non vereor, quippe qui, minoribus viribus praeditus, gravius etiam onus humeris impositum videam. Quod si *gravius* dixerim, Auditores, vos non magnopere a me dissensuros esse, confido et spero. Etenim, non tantum mihi dicendum est coram Auditorum corona, qua nunquam adhuc allocutus sum illustriorem; non tantum verba mihi sermone facienda sunt, non quidem obsoleto, at tamen insueto: non tantum munus mihi est suscipiendum, quo gravius nullum profecto novi; non tantum denique nova vitae periodus incipienda, postquam per quatuor et quod excurrit lustra in sacro Ecclesiae ministerio omnes animi corporisque vires intendi, novumque iter inchoandum est mihi, haud adeo longe ab illa aetate remoto, qua alii de velis contrahendis cogitare incipiunt: sed, quod fortasse omnes has difficultates superare censendum est, gravissimum aggredior munus in rerum atque temporum statu, quo haud scio an unquam difficilior Ecclesiae atque disciplinae Theologicae exstiterit. Quod ne ita accipiatis velim, ac si inter istos temporis acti laudatores sim recensendus, qui nova quaepiam, quippe nova, repudiant, antiqua vero, quia antiqua, omnibus viribus totoque corde defendunt. Quod verum et decens, id unice curo et rogo, et totus in hoc, si nondum sum, saltem in dies magis esse studeo. Quae nostra aetas Theologiae meliora adduxit, nequaquam contemno, laudo potius, eaque semper augeri atque multiplicari quam vehementissime cupio. Idem vero nullus dubito, cum dilectissimo praeceptore BOUMANNO conqueri: „vide quam difficile atque arduum Theologo sit ipsum *biforme* hoc saeculum; quo uno non multum abest, quin duo diversa saecula, secum invicem concertantia, contineri videantur." [1]) Nemo saltem, opinor, hac nostra aetate in celeberrimi WERENFELSII sententiam discessurus est, Ecclesiae ministri munus multo difficilius dicentis, quam Universitatis doctoris, ita ut, qui ad hoc ab illo vocaretur, gravissimum onus pro leviore

---

[1]) *Chartae Theoll.* I. p. 6.

mutaret. Quid enim vobis diffitear, quod et meum et omnium Ecclesiae amicorum animum oppressum diu iam tenuit, atque ipsis lippis et tonsoribus notum est? Non tantum *opinionum* dissensio, sed et *principiorum* discidium inter Theologos hodiernos huiusmodi est, ut de pace feliciter restituenda vix ulla remaneat spes. Auctoritatis divinae et libertatis humanae patroni, sibi oppositi, quam acerrime suam quique causam contendere pergunt, et vix ullam quaestionem Theologicam movere poteris, quin, omnium sententiis auditis, collatis, perpensis, mox maiore difficultate quam antea illa premi videatur. Quid mirum ergo, si Theologiae professor futurus, cuius cogitandi ratio amicis atque adversariis haud plane abscondita mansit, undique interpellari se audiat sentiatve: quisnam tu es, qui haud reformidasti, Doctoris Theologiae, idque quidem Theologiae Dogmaticae partes suscipere in hac temporum calamitate? Nonne scis, Dogmaticam nostro maxime aevo disciplinam esse tam problematicam, ut theologos vix invenias duos, de uno dogmate revera idem sentientes? Nonne vides, te architecto haud dissimilem esse, templum aedificare cupienti, cui vero ne locus quidem vacat, ubi fundamenta iacere possit? Num tu igitur nobis oraculum, diu desideratum, apportas, quo litigantibus pax, dubie haerentibus certitudo tranquillitasque reddetur? Et si hoc affirmare non audes, quid tibi de novo munere exspectandum, nisi tristissima sors illius imprudentissimi viri, quem parabola nobis depinxit, quemque mox spectatores illudent, dicentes: „quia hic homo coepit aedificare, consummare autem non potuit!"

Audivi, Auditores, et vos audivistis, me incepti difficultates nequaquam parvi duxisse. Tales fuerunt et sunt, ut, nisi probe scirem in Quem fiduciam animi etiamnunc tuto reponere possim, me tantae audaciae poeniteret hac ipsissimâ horâ, quâ cum Apostolorum principe repeto: *ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται.* Quanto levius pensum nostrum esset futurum, si cum clarissimo Decessore in orationis Introitu hanc nostri temporis felicitatem extollere possem, quâ — quod acutissimo SCHRÖDERO acceptum referebat — „*Scepticismus*, *Idealismus*, *Materialismus*, perpetui illi Theologiae hostes, uno ictu nunc profligati erant." [1]) Sed quam longe ab illâ histo-

---

[1]) VINKE, *Orat. Inaugur. de Germano Philosopho*, *optimo Theologo*, Trai. 1837.

riae nostrae periodo iam remoti simus, ne unus quidem Vestrum ignorat. Haud aliter quam Gigantes, in terram prostrati, ex hoc ipso terrae contactu novas corporis vires recolligunt atque ad nova certamina surgunt, ita quos VINKIUS nuncupat hostes etiam nunc superstites atque Theologiae vere christianae semper infestos videmus. Vix operae pretium addere, me nequaquam de *hominibus* agere, omni iusto honore dignissimis, sed de *principiis*, principio Theologiae dogmaticae plane oppositis. Dicta autem principia, et alibi et etiam in hacce patriâ nostrâ, hisce temporibus semper plures invenisse patronos atque propugnatores, nemo certe infitias ibit. Quod, ut de uno dumtaxat loquamur, speciatim de *Scepticismo* monendum, in dies maiore semper vi inter Theologos et Ecclesiae membra grassante. Nunquam, mihi si creditis, nostrae aetati de Theologiâ, imprimis Dogmaticâ, meliora sperare licebit, nisi effrenatum hunc multorum dubitandi pruritum, aptis medicamentis adhibitis, tandem videamus sanatum. Sed ita rem considerantibus, ipsi sentitis, dicendi argumentum nobis non adeo eligendum, quam quidem datum fuisse ab ipso saeculi nostri ingenio atque Evangelicae Ecclesiae statu, nisi saltem hoc praetulerimus, de rebus disserere, quae critico hoc temporis puncto nullius fere animum movent. Nil scilicet desperandum habemus Christo duce et auspice Christo, sed hac unâ conditione bene sperandum de disciplinâ Theologicâ nostrâ, si ipsa fides, Deo Christoque habita, viva atque inconcussa remaneat. „*Haec nobis arx invicta erit*," ita cum CALVINO gloriari nos licet, „*quod Domino stamus.*" Domino autem stare non possumus, nisi Ipsius personae, historiae, promissis firmiter nos teneamus adstrictos. Dicam igitur:

DE SCEPTICISMO, HODIERNIS THEOLOGIS CAUTE VITANDO.

Argumentum, ab unâ parte quidem tam late patens, ut pluribus vix voluminibus penitus exponi possit; ab alterâ tamen adeo concinnum, simulque ita tempori conveniens et cum munere nostro coniunctissimum, ut vix aliud inveniam, attentione vestrâ magis dignum. Hanc mihi ergo concedite veniam, ut simpliciter et candide vobis mentem exponam, datâque operâ indicem, *tum* quamnam ob causam, *tum* quonam potissimum modo Scepticismi scopulus hac nostrâ aetate mihi maxime evitandus vi-

deatur. Quâ in re ut rite procedamus, verbo moneamus de Scepticismi in rebus theologicis *charactere*, *origine*, *iure*, *fructu*, *medelâ*. Ut autem quinque has argumenti partes indicanti magis quam exponenti faciles mihi aures praebeatis animosque ab omnibus praeiudicatis opinionibus vacuos, vos, Auditores Humanissimi, etiam atque etiam rogo.

I. Cum nullo alio benificio, quo divina Sapientia atque Bonitas genus nostrum, peccato miserrimum, beare voluit, aequiparari potest Patefactio illa veritatis atque gratiae, in Iesu Christo, Dei filio atque hominum Sospitatore, atque per Eum nobis totique mundo concessa. Quam patefactionem, quamvis multa contineat, imbecillitatem nostram aut partim aut penitus superantia, tamen obiective veram esse, perfectam, aeternam, haud sine gravissimis causis, teste historiâ totius Ecclesiae, semper crediderunt atque defenderunt quicumque Theologi Christiani dici voluerunt. Qui vero revera hoc tenent, non poterunt non Scepticismi nomine indicare opinionem illorum, qui talem veritatem, divinitus patefactam revera potuisse existere, aut saltem eam a nobis certo satis modo cognosci posse in dubium vocant. Unde sequitur, Scepticismi nomine, sive latiore sive strictiore sensu, designari sententiam, quâcumque tandem prodeat formâ, quâ patefactionis Christianae indoles divina atque obiective vera aut prorsus tollitur, aut saltem ita proponitur, ut omnis veritas religiosa *mere subiectiva* habeatur adeoque satis incerta. Videtis, me nunc non in genere de Scepticismo acturum esse, qualis e philosophorum scholis prodiit, aliorum opiniones negantium, sed unice scepticam spectare *de veritate Christianâ* cogitandi loquendique rationem. Quid coram vobis, Auditores Doctissimi, de PYRRHONE et ARCESILÂ, de CARNEADE, de SEXTO EMPIRICO aliisque bene multis dicam, semper paratis et pronis ad Dogmatismum impugnandum, non adeo ut, quod iam TULLIUS observavit, "quique quid *ipsi* sentirent ostenderent, sed disputarent potius oontra id, quod quisque se sentire *dixisset*." Ethnicos philosophos missos faciamus; de nobis Theologis christianis iam sermo est, qui, a nemine coacti, continuare mox volumus quod iam ante saecula inceperunt Apostoli, testimonium sc. de Vitâ atque

Luce, in Christo nobis concessis; quibus adeo parum convenire videtur, de veritate religiosâ ita disputare, ac si nunquam Aliquis his in terris apparuisset, qui Ipse *Veritatem* se diceret, cuiusque igitur discipuli non amplius veritatem recensendam habent inter Deos Deasve ignotos, quibus apud Athenienses altaria templaque exstructa erant. Unde iam sequitur, nobis ante omnia de indicati Scepticismi *charactere* loquendum esse, quippe haud uno nomine ab antiquiore diverso. Alia enim fuit dubitandi ratio atque methodus apud philosophos Graecos, alia apud Theologos est, qui Christo nomen dederunt. Alia, ut hoc utar, apud Franco-Gallos, haud raro frivoli ingenii motu abreptos, alia apud Germanos, serios et severiores ingenio, et abstrusiore philosophandi ratione sibi aliïsque placentes. Quodsi igitur quaerimus, quânam potissimum formâ Scepticismi Proteus se conspiciendum praebeat his nostris diebus, est omnino, quod gaudeamus, Auditores, hanc formam pristini aevi rationi haud parum subinde praestare. Hodierna Scepsis in genere a levitate et futilitate abhorrens indolem seriam, moralem, paene dixerim religiosam commonstrat. Non adeo, si comparationem instituere licet, unicuique recentioris poëseos amico familiarissimam, non adeo GÖTHII MEPHISTOPHELEM nobis in animum revocat, qui negando iterumque negando fatale quoddam gaudium gustat, sed ipsum potius tristissimum FAUSTUM, qui cum campanas tinnire angelosque cantare audiret flebilis querebatur: „audio omnino, quae mihi nuncias, „laeta, sed eheu, quod deëst, nil est, nisi unice — fides." Sunt quidem etiamnunc superstites, qui decantatam cantilenam veterum Materialistarum et Deistarum repetunt ad nauseam usque, Auroram scilicet nobis promittentes, e quâ numquam sol orietur. Hos autem si facile indoctae plebi relinquimus, ad melioris notae homines oculos iam convertentes, nullo modo dubitari posse videtur, *cum* obiectiones nostri aevi contra Evangelium Christi longe graviores atque doctiores esse, quam antea; *tum* haud raro easdem coniungi cum practicâ quadam religiositate, quâ fit ut serium illud: *μετανοεῖτε* saepius etiam audiatis ab ipsissimis illis, qui ceterum miracula omnia reiiciunt, tanquam plane absurda. Nec mirum. Nostrates praesertim indole moderatiores sunt, temperatiores, et ab omnibus Extremis ita aversi, ut potius in dubitando etiam sibi non plane constare videantur, quam omnem modum excedere. Quod tamen non impedit quo-

minus apud nos dubitandi campus aeque late quam alibi pateat. Phaenomena saltem et hîc et illic sibi invicem simillima sunt, et sive ad *Germaniam* atque *Helvetiam*, sive ad *Galliam*, aut adeo ad *Angliam* mentem advertas, ubivis fere easdem voces audietis, Theologiae Christianae characterem suum obiectivum, sanctum, aeternum denegantium, nostramque disciplinam nil amplius esse contendentium, quam lusum sempiternum atque futilem opinionum mere subiectivarum, omni firmo fundamento plane carentium. Fundamento autem superstruitur hic Scepticismus, partim speculativo-philosopho, partim historico-critico. Nomine Philosophiae speculativae omnis notio de Deo eiusque ad mundum relatione repellitur, quae cum placito de Dei *Immanentiâ*, q. d. *absolutâ* non plane convenire videtur, atque omnia, quae ab ordinario naturae cursu deflectunt, *a priori* inter fabulas recensentur, mulierculis tantum atque imberbibus pueris congruas. Nomine Critices Altioris libri sancti maximâ ex parte spurii iudicantur, fideque minime digni. Hoc igitur consortio nixa, iam in Ecclesiâ Christianâ prodiït scepticorum sententia, eaque hoc modo exculta, ut eius fautores mox ipsi *Dogmatismo*, q. d. *negativo* addicti appareant, neque hoc ipso contenti, quod sese dogmatibus omnibus firmiter opponant, unum saltem dogma propugnent, hoc nimirum, omnia quae naturam nobis cognitam superant vel absurda esse, vel saltem plane incerta. Quae cogitandi ratio dici vix potest, A. A., quam multos asseclas recentiori tempore assecuta sit et etiamnunc assequi pergat. Non adeo hoc illudve doctrinae Christianae caput in dubium vocatur, quam quidem id, quod hucusque ab universâ Ecclesiâ inter axiomata fere recensebatur; non amplius de fidei Formulis atque Confessionibus unius alteriusve societatis Christianae quaestio est, sed de argumento Evangelii ipso; non tantum centenis effatis Iesu Apostolorumque interrogandi signum apponitur, verum de ipso Christo, obiecto fidei, quaeritur: *τί ἐστιν ἀλήθεια*? Tales progressus tristissimus hic morbus iam fecit, ut ubique numerus creverit eorum, qui navium ad instar, de quibus NASO cecinit,

> justo sine pondere labant,
> Perque mare instabiles nimiâ levitate feruntur [1]).

---

[1]) *Metamorph.* Libr. II.

Quis, ut praesentia praeteritis conferam, quis inter seniores non saepius recordatus est temporis, quo primum STRAUSSII nomen resonabat per totam Ecclesiam, cuius imagini TER-HAARIUS noster carmen supposuit, auro gemmisque pretiosius? Tunc temporis etiam haud pauci exstabant Theologi, a liberrimâ cogitandi ratione laudem sectantes; nullus autem eorum dubius haerebat, quin Mythicae interpretationis propugnatorem inter acerbissimos referret Christi atque Ecclesiae hostes. Nunc vero, vix ullo refragante, Theologum Evangelicum [1]) asseverare audimus, STRAUSSIO, si semel visitare vellet patriam nostram, forte plus molestiae oriturum esse ex amicorum, quam ex inimicorum vix numerando congressu. Etiam antea fuerunt, non nescio, qui in quaestionibus theologicis et religiosis dubii atque incerti haererent; tunc temporis autem sceptici vulgo vitae tabernaculum collocare solebant extra Ecclesiam ipsam, et quae a Naturalistis reiiciebatur veritas Biblica, a Theologis defendi solebat, tanquam sacrosanctum fidei salutaris pignus. Nunc vero haud raro theologos invenimus, negando longe ulterius procedentes, quam naturae investigatores, imo subinde Ecclesiae socios audimus, Evangelicam traditionem indefesso ardore defendentes contra Verbi Divini ministros, publice eandem negantes. Num igitur iam properamus ad tempora illa, de quibus idem ille STRAUSSIUS vaticinatus est ante aliquot annos, tempora scilicet, quibus non e scholis Theologorum, verum e sutorum sartorumque officinis Ecclesiae antistites proventuri sint optimi? Exempla saltem non desunt, quod iam, ex eiusdem vatis effato, nonnullis sanctissima haec nostra Theologia quasi Sphinx videatur immanis, hoc uno nomine ab antiquâ Sphinge diversa, quod non eos devorat, qui aenigmata solvere nequeunt, sed illos contra, qui ea probe perspiciunt [2]). Minime negabo, disciplinam theologicam maximos fecisse progressus, multasque quaestiones, antea vel non vel obiter tantum tractatas, tempore nostro ita exploratas esse, ut nova lux iam exorta sit et deinceps exortura. Ut vero dicam quod sentio, *fidei* progressus mihi longe minores apparent, quam *scientiae*, atque dolori temperare vix possum, ubi tot tantosque adspicio viros, qui confiteri haud

---

[1]) A. D. LOMAN, *in opere periodico: de Gids* 1861, p. 460.

[2]) STRAUSS, Glaubenslehre. II. p. 626.

erubescant, cor sibi christianum, intelligentiam vero ethnicam esse, hac in re IACOBIO, Philosopho Germano, haud inaequales querenti, se quasi perpetuo fluctibus diversis jactari, quorum aliis sursum ferretur, aliis vero deorsum. Quid mirum, quum quamplurimi non tantum de iis haereant incerti, quae ad religionem *Christianam*, sed de iis quoque, quae ad omnem veri nominis *religionem* hucusque referri solerent. *Religio* enim si cogitari nequit, ubi Dei existentiam *personalem*, i. e. sibi consciam atque liberam, sublatam videmus, ipsa Religio imminuatur necesse est, ubi Pantheïsmi regnum incepit. A Pantheïsmo autem quam parum adhuc remoti sint illi, qui vires naturae insitas non amplius a Dei voluntate distinguunt, aliis diiudicandum relinquo. Mihi quidem si creditis, talis profecto pantheïstica Creatoris et Creaturae fusio haud minus est deploranda, quam libertatis moralis atque immortalitatis animi denegatio, sive dissimulata sive directa, quae iterum aliis Theologis placet. Estne Deus, personalis, sibi conscius, libere agens; estne animus humanus, a materiâ vere distinctus, libertate praeditus, nunquam moriturus? His aliisque quaestionibus haud pauci, atque inter eos honoratissimi disciplinae nostrae cultores ita respondent, ut facilius quid sibi *non* videatur, quam quid *ipsi* sentiant, inde efficere possis. Crisi, eidemque subtilissimae, subiiciunt omnia, quae aliï ponant vel negent; quid autem ipsi velint, nobis satis incertum relinquunt. Immemores prorsus praeclari dicti Lutheri: „Spiritum Sanctum nequaquam scepticum esse," omnem fere persuasionem dogmaticam, quam apud alios vident, contemnunt, tanquam mere subiectivam atque aprioristicam illam. STRAUSSIO quondam vitae post mortem futurae spes ultimus visus est hostis, quem Theologia impugnare debebat [1]). Eius cognatis atque sociis vero omne illud, ut verbo dicam, quod Supra naturam esse apparet [2]), ultimus iam inimicus est, quem non tantum licet, imo vero oportet oppugnare, nullis non adhibitis telis. Profecto, si iam antea haud paucos conquerentes audiverimus, Hannibalem apparuisse ante portas Ecclesiae Christi, ego sane non magnopere mirer, si iam plures de ipsis portis atque moeniis conquassatis, multo validius clamare incipiant!

[1]) l. l. II. p. 739.
[2]) Gallice: *le Surnaturel.*

II. Nobis vero, qui expositam rerum conditionem hîc neque ridere, neque lugere, at potius *intelligere* volumus, sponte sese iam alia quaestio offert. Undenam descripta atque tam late sparsa cogitandi ratio *originem* repetit, quibusque causis iam eo pervenimus, ut haud paucis, de omni veritate q. d. *obiectivâ* plane desperantibus, Socratica confessio, se nil quidquam *scire*, non tantum summa videatur sapientia, sed etiam unica scientia? Ad quam quaestionem quid respondeamus, non adeo alte petendum. Non mediocriter errare mihi videntur, qui statuunt, Scepticismum ex ipsius Protestantismi principiis oriri *debuisse*, quippe quae uniuscuiusque Individui rationi libertatem tam illimitatam concedant, ut mox omnem Auctoritatem reiiciat, neminique amplius credat, quam sibimet ipsi. Ex hac igitur sententiâ, a multis Theologis Romano-Catholicis propositâ, ille optimus Protestantismi assecla foret atque sibi maxime constans, qui dubitandi studio nunquam non magis indulgens, tandem ad purum Nihilismum perveniret. BRUNO BAUERUS adeo, ut de recentioribus taceam, probabilis foret Protestantismi vindex habendus, quia totam Euangelii historiam tanquam merum commentum irridet; multo melior tamen LUDOVICUS FEUERBACHIUS erit, qui omnem religionem hominis alucinationem existimat, nescio quanam fatalitate tanquam *obiectivum* quid considerantis, quod nil est nisi *subiectivum* phantasma. Sed quis tam ignarus, qui nesciat, genuinum Protestantismum omnino libertatem religiosam tueri, filiis autem suis semper obedientiam fidei inculcasse, Divino Verbo praestandam, cuius absolutam auctoritatem lubenter agnovit, Ecclesiae auctoritate reiectâ [1])? Minime ergo e Protestantismi *indole*, sed contra e Protestantismi *depravatione* theologorum Scepticismus mihi ortus cultusque videtur, ad eiusque originem explicandam non minus in censum viniunt *psychologicae* causae, quam strictiore sensu *historicae*. Ad priores quod attinet, nemo est quin perspiciat, *fidei*, quae in re religiosâ a nobis exigitur, huiusmodi indolem esse, ut omnino ad persuasionem *moralem* q. d. de rebus Divinis pervenire possimus, numquam vero ad *mathematicam* evidentiam talem, qualem haud iniuriâ assequi studemus in re, sub sensus cadente. Nonne fidei obiectum spirituale atque invisibile est, homo autem

---

[1]) Cf. AUBERLEN, *die Göttl. Offenb.* Basil. 1861. p. 165.

sensibus adstrictus mundoque materiali ligatus? Nonne patefactio extraordinaria de salute, homini peccatori per Christum recuperandâ, eo facilius dubia excitatura est, quo magis huic patefactioni insunt haud pauca, quae intelligentiam superant cordique superbo repugnant? Nonne quaevis patefactio de rebus, per se absconditis, quaestiones elicere debet, quas sponte suggerit ratio ingenii nostri; si vero hisce respondetur id, quod nobis sive iure seu iniuriâ, non satisfaciat, quid mirum, si dubitatio nascatur, dubitandique habitus ad Scepticismum conducat? Accedit, quod ex rei naturâ multo facilius est, dubitare quam credere; levius, aliorum persuasioni obstacula opponere, subinde gravissima, quam propriam ita exponere, ut legitimae oppositioni vix ullus remaneat locus. Ab imperfectis hominibus perfecta systemata theologica iure exspectari non possunt, neque unquam fortasse unum systema conditum est, quod non, veritatem ab unâ potissimum parte exponens, vel invito autore et vindice, eiusdem veritatis partem oppositam magis minusve in umbrâ relinqueret. Qui autem imperfectum tale systema condere mavult, quam nullum admittere, is longe molestius pensum sibi videbit impositum, quam qui opponendo, quaerendo, dubitando sibi aliïsque placuerit. Hoc ut agas, fortasse non adeo opus est, ut ipse philosophus sis: iam sufficere potest, Sophistarum sectae nomen dedisse. Si autem e talibus causis internis Scepticismi ortus atque progressus satis facile explicari posse videtur, iam videatis, quot causae *historicae* nostro aevo confluxerint ad Scepticismi viam sternendam, *theologicae* nimirum, *politicae*, *philosophicae* illae. *Theologicas* dico, nam partem saltem, eamque haud exiguam, culpae imputandam censeo theologis dogmaticis ipsis. Scholasticismus enim, qui in Germaniâ praesertim brevi post Reformationis saeculum in Theologiâ exstitit, deque rebus gravissimis haud raro *a priori* tantum quid verum esset decrevit, non potuit non oppositam excitare cogitandi loquendique rationem; actio autem reäctionem pariat necesse est, Scholasticismi regno facile praeparatur oppositi Scepticismi triumphus. Utinam Theologi minus obliti fuissent praeclari illius SCALIGERI praecepti, eruditam hanc inscitiam commendantis, quâ ipsi nescire volumus, quae optimus Magister hucusque docere nos noluit! Accedit, quod praecedenti imprimis aevo haud pauci, ad intima religionis Christianae adyta non penetrantes, eiusque indolem mere historicam negli-

gentes, Evangelium ipsum cum nescio quâ *doctrinâ* Christianâ confunderent, a Christi praeconibus saepius satis aride atque ieiune expositâ, aliïsque doctrinis religiosis aperte oppositâ. Nec omittendum, fidei causam subinde modo armisque defensam fuisse, quae facile tritum illud elicere possent: „non tali auxilio, nec defensoribus istis." Quid, quod haud defuerunt, qui cum BACONE VERULAMIO statuere saltem videbantur: „Quanto „mysterium aliquod divinum magis fuerit absonum et incredibile, tanto „plus in credendo exhibetur honoris Deo et fit victoria fidei nobilior." Hoc modo ipsi Theologi Scepticismum excitasse dicendi sunt, nam, ipsâ historiâ teste, infirmum nostrum genus nunc ab hac, nunc ab illâ parte modum excedere solet, neque diu in medio manere posse videtur, quod tenere dicuntur beati. Cum his autem Scepticismi fontibus, ut ita dicam, theologicis, iam coniunctas videmus *politicas*. Spiritum illum innuimus effrenatum, libidinosum, omni auctoritati divinae humanaeque oppositum, qui revolutiones peperit non numerandas, altaria, thronos subvertit, rationis voluntatisque humanae autonomiam proclamavit, nullis limitibus amplius circumscribendam. Humanismus Christianismo opponebatur; nomine fraternae aequalitatis omnia vincula dilacerabantur; libertatem non adeo per Christum, quam quidem extra Christum quam plurimi quaerebant; verbo, faces undique accendebantur, Sol ipse obscurabatur. Quae causae theologicae et politicae eo magis Scepticismo favere debebant, quia intime coniunctae erant cum novâ quadam *philosophandi* ratione. Nequaquam opinemini velim, me adstipulari illis Theologis, qui, haud raro crassâ Minervâ altoque supercilio philosophiam ipsam contemnunt. „Quid non solum litterae, sed quid ipsa vita sine philosophiâ est [1]?" Diligo equidem et in sinu gestare haud desinam germanam philosophiam illam, quâ ad cognitionem eorum conducimur, quae fide iam eramus amplexi: qui foedus sanctissimum hanc inter philosophiam et theologiam rumpit, utramque ad mortem condemnat. Sed optimi corruptio pessima, et si philosophia nobis placet, Reginae Theologiae non ancilla adeo, quam pulcerrima soror, eheu, et aliam novimus, quae indole suâ fidei Christianae fundamenta imminuere, Scepticismum alere debuit. Quis enim negare potest, Empi-

[1]) E. A. BORGER.

rismum Lockianum, Cartesianae disciplinae oppositum, animum humanum considerasse tanquam tabulam rasam, sensatione et reflectione ad veri cognitionem perductam, et aliquatenus quidem religioni Christianae favisse, indole autem suâ viam stravisse *tum* ad BERKELEYI Idealismum, *tum* ad *Materialismum* eorum, qui *Naturae Systema* condiderunt, *tum* vero etiam ad HUMII Scepticismum, nequaquam cum HUMIO ipso exstinctum? Postquam scilicet recentioris philosophiae historia satis superque docuisset, quo tandem perveniamus, si aprioristicae speculationi nos tradimus, nubem pro Iunone amplexi, haud pauci datâ operâ ostensum iverunt, tales speculationes, experientiae luce destitutas, parum nihilve valere, nullamque salutem ab iis exspectandam esse, qui absque *'Εμπειρία*, ope Logices et Dialectices tantum, ad veram rerum cognitionem adscendere vellent. Quod sapientissime mihi monuisse videntur philosophi illi, a quibus autem sanae *Empirices* praeclaris patronis, omnino distinguenda, horum principiis abutens, magna *Empiristarum* caterva. Hi scilicet parum attendentes ad certissimam regulam, secundum quam Experientia nos omnino edocere potest ea, quae sub sensus cadentia vel antea *fuerunt* vel *sunt*, nequaquam autem ea, quae sub mutatis conditionibus accidere *possint*, hi, inquam, fidei Christianae, quatenus patefactioni supranaturali innititur, bellum iam declararunt acerbum. Eo magis eorum auctoritas apud permultos invaluit in hoc saeculo, Auctoritati ceteroquin haud nimis favente, quia opinionem exponebant illi popularibus atque pulcerrimis formis, ad eorum etiam captum accomodatis, qui ceteroquin non magnopere initiati erant philosophiae, q. d. mysteriis magnis. Quod autem his Empiristis axiomatis ad instar invaluit placitum, omnia quae non naturalia sunt hanc ipsam ob causam absurda esse, hoc aliâ iterum viâ stabilitum videmus a philosophis *Hegelianis* haud paucis. Ex horum saltem scholâ *Criticismus* in Germaniâ exstitit, qui sacram historiam diiudicavit e principiis, philosophicis nimirum, in antecessum conceptis, at nullo modo probatis, fidei autem Christianae plane adversis. Exstitit *Idealismus*, qui ideas religiosas et res in facto positas sibi invicem opponendas duxit, atque Christo historico idealem substituit. Exstitit popularis philosophandi ratio, quae iterum, quod de Socrate TULLIUS, philosophiam a coelo avocare voluit, eamque in urbibus collocare et in domos etiam introducere. Quod autem

hoc philosophiae nomine venditabatur, saepius nil erat quam restauratus *Naturalismus*, formâ non fonte ab antiquiore diversus, cui omnia supranaturalia iam erant supradivina, adeoque nullo modo admittenda. Ex his parentibus tandem mutata mundi contemplatio sive recentior *Cosmologia* nata est, Biblicae expositioni de Deo supra-mundano implacabile bellum declarans, ipsumque Deum COPERNICI nomine vetans, ne quid miraculum ederet. Quod KEPPLERUS non vidit, nec NEWTONIUS credit, apud huius Cosmologiae fautores iam constat, coelum sc. Biblicum et Christianum Astronomiae ope sublatum esse; cum DANTII ALIGHERII systemate mundi ipsum scripturarium corruisse contendunt. Quid caeterum de Deo eiusque relatione ad mundum iudicent multi, hoc uno inter sese plane consentiunt, hanc relationem ita proponi debere, ut immediato atque miraculoso Dei interventui nullus omnino denique relinquendus sit locus!

III. Scepticismi recentioris characterem atque originem satis adumbrasse nobis videmur. Si vero de illius *iure* iam quaeritur, lubenter huic quaestioni ita respondeo, ut quae aliquo modo possum concedam. Concedo quam lubentissime, permulta in veritate patefactâ nobis theologis obscura, imo dubia permanere, tot nebulis quippe offusa, ut hîc, si unquam alibi, iudicii ἐποχή usu veniat, quam nobis commendant philosophi. Concedo, saepius in magnum ipsius veritatis detrimentum tanquam vera proponi, quae vix verosimilia; tanquam verosimilia quae vix possibilia sunt, adeo ut nonnulli, studio omnia, quae tradita erant, defendendi abrepti, in iustam pertinaciae suspicionem inciderent. Concedo, brevi ut dicam, Theologos Dogmaticos subinde nimium pronos fuisse ad exemplum illorum sequendum, de quibus WYTTENBACHIUS queritur: "quod in aedificio fabricando initium faciant a tecto et apice, de fundamentis et parietibus haud cogitantes." [1]) Nec profecto Criticam duco parvi faciendam, quam summo iure RUHNKENIUS "antiquitatis omnis interpretem et iudicem, veri obrussam, fraudum indagatricem, corruptelarum expulsatricem" vocavit. DOEDESII sententiae subscribo: "ne omnia explorare pertimescant theologi, ne criticam magni facere desinant." Sed cum eodem addendum putamus:

---

[1]) WYTTENB. in vitâ RUHNKENII. Opusc. I. p. 544.

"ad veri nominis criticam, ad Critices recentioris censuram!" [1]) Quae tamen aurea verba a pluribus, autumo, negliguntur, qui sub Critices nomine nescio cuidam Criticismo indulgent, tristissimo Scepticismo vicino. Nobis saltem nonnulla temporis recentioris dubia contra patefactionem Biblicam tam parum philosopha sunt, ut contra tristes ingemiscamus: "si tacuisses, philosophus mansisses." Alii ad quaestionem respondeant, quatenus Scepticismus, in universo spectatus, *philosophiae* titulo iure ornetur. Nos lubenter eius patronis hanc veniam damus, ut Scholasticismum impugnent atque Dogmaticos cogant, systemata sua iterum iterumque secum recolere, melius probare, interiori facultatum humanarum cognitioni superstruere. Iidem tamen hanc vicissim petimus nobis, ut in omnibus, quae a Theologorum ingenio, ratiocinio, iudicio pendeant, prudentem dubitationem omnino admittentes, imo necessariam iudicantes, ipsum Scepticismi principium reiiciamus in Ecclesiâ atque Theologiâ nostrâ. Si sincere quod sentio proferam, Scepticismus theologorum mihi videtur *et* hypothesi superstructus, quae nequaquam potest probari, *et* logicâ quadam necessitate ad conclusiones coactus, a maximae temeritatis culpâ vix vindicandas. Si quid video, Scepticismus thesi innititur: aliquid, quod supra naturam creatam ab eaque vere destinctum est, vel non exstare, vel saltem a nobis nequaquam posse cognosci. Quomodo autem hanc negationem τοῦ Supra-Naturalis ita defendes, ut mihi persuadeas fidei, huic sublimiori rerum ordini hucusque habitae, omnino esse valedicendum? Hoc certe effici nequit, nisi antea aenigmata solveris, quae, omni Supranaturali reiecto, necessario manent, imo ab omni parte perpetuo crescunt. Undenam enim mihi explicabis ipsam huius Supranaturalis notionem, a mundi origine apud omnes terrae populos magis minusve excultam? Quomodo negabis, omnem religionem, sive veram sive falsam, quae hucusque exstitit, ipsi huic fidei, tanquam immutabili fundamento superstructam fuisse? Omnes, fortasse ais, omnes prorsus religiones ad patefactiones provocant, earum conditori concessas, luculento nobis indicio, tales opiniones meris nugis esse annumerandas. Sed nonne maiore iure opponere possumus, ipsam hanc fidem, tam generalem, indigentiam indicare totius generis nostri,

[1]) *Orat. Inaug. de Criticâ a Theol. rite exercendâ.* Trai. 1859. p. 9.

quae aut fortuita est — est autem universalis — aut absoluta, adeoque a Deo, si saltem Deus personalis existat a mundo vere distinctus, suo tempore modoque implenda? Falsae patefactiones verae notionem nequaquam adimunt, at vero confirmant, imo ad hanc veram viam commonstrant. Talem autem veram, summam, aeternam patefactionem a Deo nobis in Christo concessam esse, hucusque semper credidit neque unquam credere desinet Ecclesia Christi, nullaque alia quaestio restat, nisi una, utrum huius Patefactionis veritas obiectiva atque absoluta argumentis satis validis homini veri sanctique studioso probari possit. Ad quam quaestionem affirmando respondere, nos nullo modo veremur. Scio quidem, haec argumenta, interna aeque ac externa, saepius tot tantisque vocibus oppugnata esse, ut firmissima arx tandem valde videatur percussa. Idem tamen etiam scio, quam plurimas obiectiones nequaquam recentes, oppositionem praeterea et victoriam nequaquam synonyma vocabula esse, atque hucusque, ipsâ experientiâ teste, post innumerabiles aggressus, religionem Christianam semper caput extulisse, gloriosioribus laureïs cinctum. Ponamus, hucusque nunquam satis lucide expositam esse Revelationis q. d. possibilitatem *metaphysicam*, *logicam*, *moralem:* num exinde iam sequitur, ipsam Patefactionem amplius admittendam non esse? Ponamus, formulam sufficientem nondum enunciatam esse, quâ Dei ad mundum relatio accurate describitur Eiusque in mundo agendi modus exponitur: num exinde concludes, absolutam Personalitatem iure contradictionem in adiecto vocari, miracula autem in sempiternum admitti non posse? Magnopere vereor, ne quis hac viâ procedens, quod Germanis proverbio est, puerum effundat cum balneo, et laudabili studio ductus, ut alios a *mysterio* liberet, ipse ad *absurditatem* perveniat. Inter mysterium autem atque absurditatem optionem nunquam diu difficilem duxi, neque hunc honorem Deo denegandum putarem, quod scilicet Ille, omnipotens, sibi conscius, libere agens, aliquid cogitare, loqui, efficere possit, quod captum et meum et omnium hominum superat, quamvis nunquam obiectivae, i. e. aeternae Rationi oppositum. Huius inconcussae fidei fundamento innixus, calculum iis adiicere nequeo, quibus miracula Biblica *a priori* iam *λίϑοι προσκόμματος* exstant. A scepticis saltem hucusque domonstrationem exspectavimus frustra, — *demonstrationem* veri nominis dico — quâ luce clarius

pateat, divinae has maiestatis patefactiones cum anilibus fabellis aequiparandas esse; ab Empiristis autem meliorem iuris vindicationem, quo ex experientiâ contendere pergunt miracula non fieri *posse*. „Nunc non amplius fieri solent." Num tibi omnes naturae leges iam cognitae sunt; nonne quae terra Miracula nuncupat, eadem fortasse in coelo Natura dicuntur [1])? „Sensuum testimonium nos facile decipere potest." Quo iure igitur ad experientiam perpetuo provocare haud desinis? „Testes nullâ sub conditione credendi, qui talia inaudita proclamant." Ubinam tandem hoc modo omnis certitudo de rebus antea gestis, omnis fides historica manet? Sed age, iam parvo temporis momento ponamus, omnes has contra miracula obiectiones hucusque nunquam satis solutas esse, neque plane solvi potuisse, hoc saltem a Sceptico nostro exspectemus par est, ut nobis Ecclesiae atque Religionis Christianae originem, omni omnino miraculo reiecto, sufficienti modo exponat. Quod hucusque saltem nondum peractum esse, non est quod vel negemus, vel supra modum miremur. Mihi certe persuasissimum est, Ecclesiam Religionemque Christi aeternum esse mansuram aenigma, nisi concedatur, utramque superstructam fuisse fundamento supranaturali et plane miraculoso. Etiamsi nulla alia N. T. scripta admittam, nisi paucissima illa, quae nobis crisis Tubingensis reliquit, hoc ex iis satis superque apparet, in primaevâ Ecclesiâ signa et prodigia exhibita fuisse, quae a naturali rerum cursu haud parum decederent. Hoc aeque certum, Apostolorum fidem in Iesum redivivum, cui superstructa est Ecclesia Christi, nullâ satis probabili ratione hucusque explicatam esse, nisi miraculo resurrectionis admisso [2]). Hoc vero certissimum, e naturali rerum cursu Christum *ἀναμάρτητον* plane inexplicatum, imo inexplicabilem esse; ita ut, si tibi plane constare velis, *aut* hanc specificam Christi dignitatem reiicere debeas, Eumque fortasse *Magistrum*, non tamen *Dominum* Biblicâ vi vocis vocare, aut si hoc non audes, ad carceres supranaturalistarum redire. Optime scio, haud deësse honoratissimos viros, qui hoc admittere nolint, Dei scilicet personalitatem Christique specificam dig-

---

[1]) „*Wunder auf Erden sind Natur im Himmel.*" IEAN PAUL.

[2]) „Avec un Christ, diminué en rare homme, je défie, qu'on m'explique les Apôtres." C. BOIS.

nitatem tueri conantes, etiamsi a miraculo omni abhorreant. Quonam vero iure ita statuant, ex me certe non quaeratis velim: Davus, non Oedipus sum. Si revera Pantheïsmum fugere velis, atque te Theïstam purum praestare, miracula saltem fieri *posse* admittas necesse est. Si contra hoc denegas, vide, quomodo mundi creationem generisque humani originem tibi aliquatenus informare possis. Si vero de *aeterná* creatione balbutire iam incipis, vide iterum, quam parum adhuc ab abysso remotus sis, in quâ miser non tantum Deum Iesumque tuum, sed et te ipsum animique immortalitatem amittas. Ita, evanescente supranaturali religionis nostrae fundamento, ne ipsa religio mox evanescat, timendum est. Quod enim nonnulli perhibent, Supranaturali omni remoto, tamen ipsam Religionem in aeternum manere, imo maiore etiam splendore fulgere [1]), dici vix potest, A. A., quam parum credibile sit. Quid, quod satis mirari non possum, quum talia *ab Experientiae patronis* exspectari iam audio, quae experientiâ ipsâ non paucorum annorum, sed plurium saeculorum continuâ refelluntur. Etenim experientia docuit, omnem Religionem hucusque cum fide, *τῷ* Supranaturali habitâ, et exstitisse et corruisse; historia testatur, omnes sectas, qui hoc fundamentum reiicerent — *Theophilanthropinorum* tantummodo liceat excitare familiam — egestate spirituali cito citius succubuisse; religionis Annales commonstrant, miracula hucusque vulgo reiecta fuisse, nequaquam a religiosissimis viris, sed contra a parum religionem curantibus. Quonam iure, quaeso, si Experientia nobis

---

[1]) Ita, e. g. RENAN, *la chaire d'Hebreu*, etc., pag. 29, postquam scripserat: »le surnaturel est devenu comme une tache originelle, dont on a honte; les personnes, même les plus religieuses, n'en veulent plus qu'un minimum, on cherche à faire sa part aussi petite que possible, on le cache dans les recoins du passé. Qu'on s'en rejouisse ou non, le surnaturel disparaît de ce monde; il n'obtient plus de foi sérieuse que dans les classes, qui ne sont pas au courant de leur siècle," iam pergit: »faut il que la religion s'écroule du même coup? Non, non. La Religion est aussi éternelle, que la poésie et l'amour." Idem vero antea, pag. 28, scripserat: »éclosions d'un moment à la surface d'un ocean d'êtres, nous nous sentons *avec l'abime nôtre père* une mystérieuse affinité," atque negavit, se ad illos pertinere, qui diminuere velint »*la somme* de religion, qui *reste encore* en ce monde." Difficile foret negare, hanc religionis diminutionem, quam V. Cl. haud iniuriâ agnoscit, arcte cohaerere cum propagatione idearum philosophicarum, quibus omne Supranaturale amovetur, ac Deo personali aliquatenus Abyssus substituitur.

summa sapientiae erit magistra, quave boni successûs spe in posterum separare licebit, quae hucusque semper indivulso nexu coniuncta fuerunt? Addenda habeo quam plurima; sed iam satis superque mihi probasse videor, Scepticismum multo maiores nobis parere atque relinquere difficultates, quam quae evitare iam studeat. Hic profecto, si unquam, usu venit praeclari Apologetae praeceptum: „si explicari non posse aliquid apparet, nisi hypothesi unâ admissâ, quae non tantum per se possibilis, sed etiam alias ob causas probabilis est, hanc hypothesin admittamus necesse est, nisi oppositum luce clarius expositum sit [1])." Talis hypothesis, sit venia verbo, quae huic conditioni respondet, est nobis Id, quod supra naturam creatam est, quo scilicet admisso, omnia explicantur; quo reiecto, explicari non possunt; quo vindicato, iam fit ut *miraculi possibilitas* tandem *principium* evadat *Philosophiae vere Christianae!*

IV. Excusetis velim, Auditores, si Scepticismo adversans, vobis fortasse modum excedere videor. Christi miles, hunc hostem aggrediens, revera pugnat pro Rege, Lege et Grege. De *fructu* enim Scepticismi ipsius in spe sumus nec magnâ, nec ullâ. Non parvi quidem ducimus meliora nonnulla, quae, moderante divinâ Providentiâ, Scepticismo accepta referenda habemus. Optimo successu subinde castigavit Scholasticismum dogmaticum, eiusque patronos a somno praematuro retinuit. Saepius novum examen veritatis Christianae necessarium reddidit, in magnum disciplinae nostrae emolumentum. Quid quod, uti suo iam tempore egregie vidit PASCALIUS, aeternae illae inter Scepticos atque Dogmaticos lites semper de novo probarunt, quam necessaria extraordinaria divina Patefactio sit, quae imbecillitati nostrae succurrat animumque humanum, caeteroquin variis dubitationis fluctibus quasi iactatum, ad certitudinem tranquillitatemque adducat, quam alibi nusquam inveniet. Haec omnia laete agnoscenti, talia tamen bonae frugis phaenomena non ipsi Scepticismo tribuenda esse mihi apparet, sed saluberrimae reactioni, quam non excitare non potest. Per se enim consideratus, Scepticismus mihi adagium Biblicum confirmare videtur, de arbore cariosâ, e quâ pulchros fructus exspectare non licet. Quod continuo de sceptico ipso contenderim, cuius virtuti hac

[1]) BORGER, *Leerred.* I, p. 165.

philosophandi ratione non magis consulitur, quam animi tranquillitati. Animus enim humanus non sine acerbo quodam dolore separari se sentit a pristino adorationis obiecto, amissamque fidem deplorat, praesertim si iam a teneris inde Evangelii suavitatem gustaverit. Leonum atque tigridum dentes, uno ictu miserrimam victimam dilacerantes, fortasse minus sunt periculosi, quam venenati serpentum morsus et viperarum, quibus praeda tandem miserrimâ morte succumbit. Scepticismus discidium alit internum, quod non potest non nos infelicissimos reddere, si saltem veritas religiosa nobis quaestio est revera vitalis. Quum vero in discidio eiusmodi interno acquiescere nullo modo per totum vitae spatium possimus, aut aliquando *Mysticismi* evadamus necesse est, aut *Materialismi* fautores. Ita haud paucos his nostris diebus videmus, qui a reiectâ Scripturae auctoritate initium facientes, in dubitando semper ulterius processerunt, ut mox illa quoque, quae antea strenue defenderant, iïs verba vocesque videantur, praetereaque nihil. Nec mirum, quum Scepticismi ope vitae internae nervi tandem necessario incidi debeant. Eius enim fautoribus tam diu tantum religiosis manere licebit, quamdiu obliviscuntur, quid de patefactionis, de miraculorum, de cuiuscunque rei supra naturam positae absurditate profiteantur. Excordes autem simus oportet, nisi intelligamus, hoc modo veri nominis religionem verbo quidem admitti, reapse autem, sin minus tolli, saltem ita imminui, ut eius causa semper conclamatior fiat. Quod omnino contra scepticorum sententiam, nequaquam contra ipsos scepticos dictum sit. Extremae arrogantiae foret, ipsos homines iudicare, quorum corda perscrutari non possumus, licet eorum opiniones condemnemus; ne addam, perversam theoriam subinde meliore propugnatorum naturâ aliquatenus corrigi, prouti ab alterâ parte optima theoria perversâ praxi subinde contaminatur. Hîc tamen non quaeritur, quid intus sentiant, neque quid aperte profiteantur Scepticismi hodierni patroni; sed quid, si sibi constare velint, profiteri cogantur, neque e sanae Logices principiis defugere possint. Et hoc si quaeritis, iam neminem paulo peritiorem id fugiet, Scepticismi regnum neque *disciplinae Theologicae* magnopere prodesse, neque *ipsi Ecclesiae Christi*. Ad prius quod attinet, germanae scientiae est, non tantum quid *non* sit, sed etiam, quid *sit* indicare. Triumphante autem Scepticismo, ipsum disciplinae theologicae

Obiectum cadat necesse est. Crisis quidem instituitur de omnibus templi architectis atque materiâ, hucusque adhibitâ; quid vero fit ad aedificandum Sanctuarium ipsum? Si ad hanc quaestionem promittendo respondetur, Theologiam Scepticismi ope saluberrimo modo depurgatum iri, aegrotanti profecto de Medico conqueri licebit, qui sanguinem non tantum detrahit, sed totum exhaurit, imo cor e pectore rapit. Quid, quod hoc etiam nomine Scepticismus Theologiae nocet, quod non possit non serius ocius reactionem excitare dogmaticam, subinde adeo fortem, ut Theologiae vere Evangelicae liberalisque, sanâ vi vocis eclecticae, condendae vix iusta remaneat spes. Hoc vero, ais fortasse, posterioris est curae; in praesentiarum autem, addo, iam satis apparet, genuinam Theologiam atque adultum Scepticismum amice conspirare non posse. Neglecta mox disciplina nostra iacebit, si sancta Theologia, olim scientiarum Regina, proprium privumque locum diutius occupare non possit, et uniuscuiusque, proprio Marte philosophantis vel dubitantis, pedisseque fiat. *Interpretatio* veteris novique Testamenti mox res mediocris momenti evadit, ubi Sacra Scriptura peculiari charactere destituitur, quem hucusque ei tribuebat Ecclesia. *Philologice* et *critice* explicare omnino potero has etiam, prouti caeteras antiquitatis reliquias; sed quid ulterius de sententiâ scriptorum sollicitus ero, a quorum testimonio fides minime pendet, quosque ipse, ad veram religionem quod attinet, haud uno nomine supero? *Dogmaticam*, nomine dignam, non magis excolere potero; deficiens, ieiuna, plane problematica erit, demtâ *τοῦ* Supra-Naturalis notione; de gravissimis locis dogmaticis nil amplius restat; distinctiones atque disquisitiones, in quibus saecula desudarunt, iam merae nugae videntur, quas iure miremini unquam sapientium hominum ingenia exercere potuisse. *Historia* Biblica et Ecclesiastica eâdem viâ characterem sacrosanctum amittit, atque particula iam evadit historiae universalis, unice secundum huius leges consideranda. Quid de *practicâ* Theologiâ addam, in quam certe nemo minore assiduitate incumbet, quam qui, de gravissimis rebus dubius haerens, mox aliis, aeque fortasse dubitantibus, se comitem ducemque adiunget. Iam omnes perspiciatis necesse est, *Ecclesiam* non magis Scepticismi fundamento superstrui posse, quam Pyramidum una acûs in acie fundari possit. Nullo modo quidem is ego sum, qui Ecclesiam ad immotam stabilitatem con-

demnare velim; absoluta enim stabilitas nil foret nisi ipsissima Mors. Si forsitan aliquis quaerit: nullusne ergo in Ecclesiâ Christi ipsius Religionis profectus, cum VINCENTIO LIRINO repono [1]): "habeatur plane et maximus, sed ita tamen ut vere *profectus* sit ille fidei, non *permutatio. Si quidem ad profectum pertinet, ut in semet ipsam unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur.*" Scepticismus autem non veri nominis profectum, sed potius permutationem Ecclesiae afferre apparet, imo ubi regnare inceperit, ipsius Ecclesiae notio tollitur. Ecclesia enim nequaquam philosophica schola est, de Vero adhuc incognito quaerens, sed credentium congregatio, qui se summam veritatem atque vitam vitalem in Christo iam invenisse, coram toto mundo declarant. Scepticismus contra non potest non ad *Individualismum* conducere, quo sectarum vix numeranda multitudo exsistet, quove tandem unaquaeque coniunctio religiosa, sive Ecclesiastica, sive domestica in dies difficilior exstabit. Ad veritatem patefactam si omnes adstrictos se tenent, omnino de Scripturae interpretatione discidia possunt oriri gravissima, sed tamen super idem fundamentum aedificare non desinunt. Si vero ab hoc fundamento nos avelli patiamur, quisque quodammodo privatim religiosus manere potest, Ecclesia autem hoc modo stare atque aedificari non potest. *Intolerantiae* terminum positum iri, si Dogmatismum, imo dogmata missa faciamus, promittunt Scepticismi fautores, et certe, Intolerantia nunquam non Ecclesiae flagellum atque flagitium fuit. Sed etiamsi illorum ope Intolerantia cesserit — quâ de re nobis iam liceat Scepticorum agere partes, propter nonnullorum intolerantiam — est peius aliquid, quod Intolerantiam excipere possit, *Indifferentismus* nimirum. Quaestionibus theologicis et religiosis, quippe mere subiectivis, e scientiae regno remotis, mox non deërunt multi, quibus tales opiniones tantilli momenti videantur, ut vix operae pretium sit, de illis cum aliis disserere, multo minus contendere. Quomodo, quaeso, huiusmodi Ecclesia mundi spiritui resistere mundumque vincere potest? Undenam in tali Ecclesiâ veritatis praecones, columnae, martyres orientur, quales antea summum eius decus fuerunt? Quid ipsa quies in tali Ecclesia, nisi aut maiore vi instantium procellarum, aut

[1]) *Commonitorium*, Cap. 28.

adventantis mortis augurium? Et quid, post haec omnia, vobis mihique magis exoptabile possit videri, quam letalis morbi medela?

V. *Medelam*, de quâ ultimo loco agimus, adhiberi *posse* et omnino *debere*, non est quod fusius exponamus, A. A. Quaeritur tantum, quanam potissimum ratione medicina praeparanda sit atque aegrotanti administranda. Num Scepticismi Scyllam evitare studentes, iam in rigidi Dogmatismi Charybdin incidemus miserrimi? O nos ter quaterque beatos, si aliorum naufragiis tuti cautique reddamur! Num igitur Ecclesiae auctoritate exstirpabimus illos scepticos homines? Nil veri Protestantismi indoli minus consentaneum foret. Quae scientiae abusu minus vera, imo falsa dicuntur, me quidem iudice nullâ aliâ ratione, quam meliori ipsius scientiae usu corrigi possunt et debent. Libertatem, quam nobismet ipsis petimus, aliis non tantum concedimus, sed si unquam serio oppugnabatur, eam publice defendere nequaquam reformidaremus. Nobis tantum illimitatum ius vindicamus de veritate, in Christo patefactâ, altiore semper voce *testandi*, Deo ipsiusque veritatis efficaciae hoc relinquentibus, ut plenum atque immutabile Euangelium Christi sibi viam aperiat ad corda atque conscientias hominum. Summa morbi indicati medela ipsi Deo tuto committi potest, qui propriâ suâ adorandaque viâ mentes animosque ad veritatem cognoscendam et amplectendam perducere solet; a tempore quoque medicinae pars exspectanda. In genere nunquam obliviscendum erit Theologo, omnino se de veritate posse indefesso ardore testari, imo adversarium eo perducere, ut *ad terminos* redigatur *non loqui*, ipsam vero veritatis persuasionem vivam, inconcussam, frugiferam, donum esse gratuitum ipsius Spiritûs sancti. Hic Spiritus autem quum mediate agere soleat, hominibusque divinae efficacitatis instrumentis uti dignetur, hoc Ecclesiae ministris imprimis curae debet esse cordique, ut plenum Euangelium annunciantes, e fide in fidem loquantur, suumque *κήρυγμα* ita exemplo vivendique ratione comprobent, ut nemini amplius liceat veritatem verbi in dubium vocare, quod tales informet praecones. Ad ipsam *Theologiam* autem quod attinet, nequaquam redeundum erit ad systema seculi decimi septimi, omnibus numeris restauratum, sed novum in eodem aeternoque fundamento condendum, quod verbo Divino, Ecclesiae principiis, aevi sin minus desideriis, saltem commodis magis magisque conveniat. Ab eorum so-

cordiâ quam longissime remotis, qui, prouti dici solet, nil obliti sunt antiquorum, nil recentiorum edocti, nobis illud praeclari poëtae transatlantici: „*Excelsior*" perpetuo obversetur oportet, excelsior autem, non ad rigidas niveasque regiones, ubi tandem miseri pereamus necesse est, sed ad templum veritatis Christianae, in monte illo exstructum, ubi novum mundum ipsi adspicere, aliisque, nos insequentibus, laete commonstrare poterimus. Verbo, ita excolatur Theologia nostra, ut ipsa aeterna Veritas, in Christo patefacta, clariore in dies luce splendere incipiat. Quod ut fiat, quam commendamus Theologiam, ea *Evangelico-Biblica* sit, *historico-philosopha*, *irenico-practica* tandem. *Biblica* nimirum, non eo sensu ut ad nudam litteram Sacrae Scripturae promiscue Theologus ablegetur, tanquam ad nescio quod Corpus Iuris Divini, ut tandem mechanice per verba sanctissima iuret, nullo discrimine temporum locorumque admisso; sed hoc modo, ut e sacro Codice, rite explicato atque strenue defenso, cognitionem veritatis patefactae uberrimam hauriat, ad Euangelium autem, tanquam Scripturae cor atque meditullium, imprimis attendat, et non tantum Scripturae ope ad Christum, sed potius per Christum ad intelligentiam Scripturae ducatur. E Christo, tanquam centro patefactionis, quantum fieri potest, deducat omnia, ad Eumque quae invenit reducat, neque adeo de multis *veritatibus*, q. d. patefactis loqui pergat, sed ipsam *Veritatem*, unam, indivulsam, vitalem, in Christo ipse adspiciat, aliisque laete annunciet. Quod ut facere possit, Theologia, quâ imbuitur, *historico-philosopha* sit. *Historicâ* viâ procedens, patefactionem divinam gradatim procedentem observet, praeclari illius moniti memor: *distingue tempora, et concordabit Scriptura.* Ecclesiae auctoritatem non quidem supra Protestantismi modum veneretur, nec magis tamen contemnat, communionem fidei cum proävorum familiâ religiose observet, neque tamen unquam Dei Verbum cum hominum, ne praestantissimorum quidem, fidei Formulis aequiparari concedat. Hoc autem prae caeteris curet, ut veritas revelata in interioris hominis sanctuario clariore identidem resonet voce. Quem in finem profundiori facultatum humanarum analysi Theologia superstruatur necesse est, ut ita magis magisque appareat, testimonium Scripturae atque testimonium animi admirabili prorsus ratione sibi invicem quasi respondere. Logica non tantum, sed psychologica haec methodus erit, atque *philosopha*

iure dicenda, non quia unius alteriusve philosophi, optimi licet, auctoritati se mancipavit, sed quia aeternis germanae philosophiae legibus se lubenter adstrinxit, suosque cultores eo perducere studet, ut quae fide iam amplexi sunt in dies melius intelligere possint, cum ANSELMO hoc profitentes: *„qui non crediderit, non experietur, et qui expertus non fuerit, nunquam intelliget."* Aut equidem egregie fallor, aut talis Theologia tandem quoque *irenico-practica* erit. Eo enim tendit, ut ea, quae, e S. C. sapientes, practicâ atque psychologicâ viâ intus iam probe cognoverimus, semper penitius indagemus; quod autem ita invenerimus, iterum in praxin convertamus, et nobis et aliis saluberrimam. *Πρᾶξις* enim *επιβασις θεωρίας*, quod NAZIANZENI effatum quo melius intelligatur, eo certius Theologiam poterimus condere, quae Ecclesiae ruinas reparet, imo scepticorum etiam oculos alliciat, eosque de veritate, a nobis defensâ, certiores tandem reddere possit. Quid, quod ita procedentes, *irenicorum* quoque Theologorum titulum laudemque merebimur: quippe bellum nullam aliam ob causam parantes, quam quia pacem Ecclesiae volumus, honorificam autem illam atque omnino nomine dignam. Pax enim Ecclesiae, quod omnes teneamus oportet, nunquam restitui potest, ipsâ veritate neglectâ, sive in mera opinionum commenta conversâ. Veritas autem, ubi triumphat, non potest non litigantium animos et Christo et sibi invicem conciliare; imo, quod iam videmus, e variis Christi familiis continuo illi inter esse coniungi incipiunt, qui super eodem aeterno fundamento et ipsi aedificati sunt et alios aedificare volunt, communem profligantes inimicum, incredulitatis spiritum dico. O utinam vobis mihique adumbrare possem imaginem talis Theologi, qualem nequeo adhuc, eheu, vobis monstrare, at intus sentio tamen! Incepit ille, anteaquam doctoris munus obiret, discipuli locum tenendo, ad Christi pedes sedentis, ut ab Illo ea verba aeternae vitae audiret, a quibus destitutus ipse non amplius vivere potest. Mox vero, fidei foedere cum optimo Sospitatore inito, atque incredibili accensus ardore ut, quae fide iam tenet, etiam quoad fieri possit intelligat aliisque ante oculos ponat, nullum prorsus adminiculum negligit, quo veritatis doctor evadat, idem vero aeternae Sapientiae modestus discipulus maneat. Si e variis Doctorum medii aevi titulis ei optio concederetur, non Doctor *Sublimis*, aut *Angelicus*, aut *Seraphicus* vocari cuperet, sed *Bi-*

Digitized by Google

blicus, sanâ vi vocis. Sanctissima Archiva regni coelorum, in S. C. consignata, nocturnâ versat manu, versatque diurnâ. Ubi autem penitius penetrare non potest, *τὸ Αὐτὸς ἔφα* optimi Magistri veneratur, *τῷ γέγραπται* divino obstrictum se non sentire non potest. Ad Dei cognitionem, si non adaequatam, attamen veram adscendere cupiens, ab omni Intellectualismo abhorret, quo nimis facile veritatis informatio atque notio subiectiva cum ipsâ veritate miscetur. Pectus potissimum est, quod Theologum illum effecit, pectus inquam, ardentissimo amore Christi fratrumque impletum, cui LUTHERI praeceptum infixum est: "non esse Theologum, qui magna "sciat et multa doceat, sed qui sancte et theologice vivat." Fidei firmiter tenax, veram illam liberalitatem sectatur, quae nullibi nisi in Christi scholâ discetur, et quamvis de sanctissimâ re, quam profitetur, sibi persuasissimum habens, non facile tamen obliviscetur, se ex parte tantum cognosse. Amicis se non mancipio dabit, adversarios nequaquam contemnet, sed in iis etiam, quos conscientiae causâ oppugnat, sublimiorem quemque nisum laete observabit, altâ mente illud PAULI repostum tenens: *δοῦλον δὲ Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας*. Criticus est, non vero Scepticus; credit, nec tamen credulus erit. Per fidem ad scientiam, per scientiam ad fidem, identidem profundiorem procedit. Quid plura? Ita germanus Theologus, qui idem dubitantis aevi Medicus esse desiderat, ipsius divini *Λόγου* imaginem aliquatenus refert, atque Christi Apostolorumque vestigia premens, revera alios docet, quae ipse intimâ cum Patre communione accepit. O utinam tales his temporibus nostris exstarent Theologi, numero illi semper maiore! Quis dubitat, quin hac viâ letalis Scepticismus tandem foret devictus, imo quis non videt, hac viâ de totâ Ecclesiâ Christianâ mox valiturum esse propheticum symbolum urbis, ubi CALVINUS vixit et mortuus est: *post tenebras lux!*

Post tenebras lux. An is ego sim futurus, a quo in mediis horum temporum tenebris aliquantulum saltem lucis Theologiae Ecclesiaeque sperandum? Ita saltem de tenuitate meâ vos iudicastis, Viri Nobilissimi, Amplissimi, quorum suffragiis hunc honorificentissimum locum ex augustissimi

Regis decreto mihi demandatum iam video. Quod omnino mihi non tantum honori, sed gaudio duco, quippe qui non longe ab antiqui cuiusdam Theologi sententiâ absim, statuentis extra Ecclesiam nullam salutem, sed extra Academiam nullam vitam Theologo esse vere vitalem [1]). Haec persuasio fuit, quae mihi animum addidit, ut post vitam iucundissimam, simul vero laboriorissimam Ecclesiasticam, iam gravissimum munus susciperem, quod forte tutius fuisset modeste recusare. Sed hoc cum serio meditabar, religioni tamen ducebam, Praeceptori, eidemque Amico deësse, cui, uti saepius mihi significavit, diu in votis fuit, ut suo exitu vacantem aliquando locum occuparem ego; religioni itidem, vestrae voci non obtemperare, Nobilissimi Viri, qui me ad VINKII cathedram vocare haud dedignati estis. VINKII dico, et hoc nomen gratissimo sensu pronuncianti sponte iam mihi obversatur imago eximii viri, ad rogum usque mihi pio amore colendi. Ille enim me primum inter omnes suos discipulos Theologiae Doctorem creavit, postquam per triennium eius praeclarâ institutione suavissimâque familiaritate uti licuerat; ille me ad munus sacrum in pago amoenissimo publice introduxit; ille nunquam non se mihi integerrimum amicum probavit. Non meum est Clarissimum Defunctum debitis, id est summis extollere laudibus. Ipsi virum cognovistis, cuius mentis acumen, doctrinae copiam, morum integritatem, indolis humanitatem omnes eius collegae, discipuli, amici tam diu experti sunt, quemque summo iure Academia atque Ecclesia luget. Quonam animo sim perpendatis, quum iam non VINKII laudes efferre, sed quod maius est, VINKII vitae pensum persequi disparibus viribus debeam? Ad vestram humanitatem refugio, Curatores Amplissimi, et nomine Amici defuncti, nunquam apud nos morituri, indulgentiam supplex imploro. Accipite grati animi testificationem sincerissimam, simul vero sanctissima vota, quibus gravissimnm auspicor munus! Pergite, quaeso, me benevolentiâ vestrâ condecorare, vestroque favore mihi animum addere, ut qui iam munere Academico ornor, ipse postea huic muneri aliquatenus saltem ornamento fieri possim. Hoc saltem vobis recipio spondeoque, me quod doctrinae atque ingenio deëst, indefesso labore et animi contentione ita esse compensaturum, ut vos nun-

[1]) JOHAN GERHARD, Theol. Ienensis.

quam vestri de me iudicii ac mihi mandatae provinciae iure poeniteat. Utinam e conatibus meis aliquid bonae frugis redundet in Ecclesiam, atque in Academiam nostram, cui filium praestare me cupio, almâ Matre non prorsus indignum! Vobis autem, Viri Illustrissimi, hoc largiatur Pater coelestis, ut ipsi salvi incolumesque vitam vivatis Divino favore beatam, in Vestrorum, in Academiae, in universae Patriae nostrae salutem!

Ad Vos me convertenti, Viri Clarissimi, omnium artium doctrinarumque Professores, vox incerta in faucibus haeret. Nil facilius, quam trita illa vobis repetere, quae tali occasione iam saepius potuistis audire, nil autem difficilius, quam animi exprimere sensum, quo tantos talesque viros iam Collegas aestumatissimos nuncupem. Mediocritatis meae probe mihi conscius, non nisi verecunde vestro ordini meum nomen adscribi video, atque optime sentio, paucula tantum esse, quae vobis offerenda, quam plurima contra, quae a vobis imploranda habeam. Simul vero ad pristini temporis recordationem laetissime redeo, mihique nomina SCHRÖDERI, VISSCHERI, GROENEWOUDII, GOUDOEVERI, HEUSDII repeto, quos hic nactus fui praeceptores egregios. E numero professorum, qui tempore meo Academico floruerunt, unum tantum mihi salutare nunc contingit. Vos vero, Viri Clarissimi, si decessoribus, quod nequaquam dubito, non tantum doctrinâ, sed humanitate etiam estis consimiles, non plane despero de nexu nostro futuro. Hoc a vobis petere liceat, ut me humanitate sublevetis, exemplo inflammetis, familiaritate, fiduciâ, si fieri potest etiam amicitiâ honoretis exoptatissimâ. Quod a Te non amplius rogandum habeo, nobilissime DE GEER, qui per tot annos iam amicum integerrimum Te mihi comprobasti. Tibi, scio enim, ipse hic dies, quo inter collegas amicum iuventutis iam recipis, dies laetitiae bonique augurii est. Utinam, quae tam diu nos vincula iunxerunt, nunquam disrumpantur, imo firmiora etiam evadant! Neque minus Tibi me commendatum velim, Clarissime MILLIES, cuius debitorem statim se sentit, qui Facultati Theologicae Traiectinae adscribitur. Qui studia Veteris Testamenti tuo, id est eximio modo regere haud recusasti, hoc pensum haud desinas persequi, favente Deo O. M., applaudentibus omnibus bonis! Tibi, imo vobis omnibus, celeberrimi Viri, Deus corporis valetudinem animique alacritatem conservet, ut et inclytae huic scholae et universo orbi litterato quam diutissime decori esse pergatis atque emolumento!

Sed maiore iam afficior gaudio, ad Vos verba vultumque convertens, clarissimi Theologiae Professores, quibus accedens saltem nequaquam in terrâ incognitâ versor. Huic gaudio certe iusta tristitia subest, quum VINKII ac ROYAARDSII, humanissimi viri, recordor, qui certe, si adhuc inter vivos degerent, non recusavissent hac horâ paternam dicamne an fraternam mihi laeti porrigere manum. Sed Te superstitem video, clarissime BOUMAN, nec superstitem tantum, sed in ipsâ corporis caducitate ita valentem, vigentem, militantem, ut iuniori commilitoni, eidemque gratissimo discipulo, iam miles antiquitatis Romanae appareas, qui clypeum non nisi cum vitâ ipsâ deponit, imo alter VESPASIANUS, qui ultimâ vitae periodo Imperatorem stantem mori oportere ajebat. Quod ne in malum omen sit dictum, omnes precantur, qui te Theologorum Traiectinorum Nestorem atque Antesignanum summo iure maximi faciunt, nemo autem me ardentius potest precari, qui ipso recentissimo tempore te patronum nactus sum, tam potentem atque tam generosum, ut nulli clienti, iniuriâ accusato, melior unquam esset optandus [1]). Tu igitur, Vir Clarissime, quantum vitae viriumque tibi superest — supersit autem quam plurimum — Tu Mentor mihi atque Monitor maneas, inopiae meae tuae doctrinae copiâ benevole succurrens, mihique condonans, si mox aliae dotes tibi aeque mediocres appareant, quam latinitas mea, quae tibi, oratori uni in paucis classico, non displicere non potuit. — A Te, Clarissime TER HAAR, hanc indulgentiam non rogo tantum, sed firmâ fide exspecto: nam te adspicienti facile mihi succurrunt, quae de optimo fratre SENECA scripsit: »coepisti mirari comitatem atque incompositam suavitatem; nemo mortalium uni tam dulcis est, quam hic omnibus [2])." Te poëtam, oratorem sacrum, theologum historicum perdiu iam in oculis tuleram; fore autem ut te collegam tandem salutare liceret, hoc mihi certe non praesagiverant astra, quum, ante hos septemdecim annos, memini enim, de astrorum agmine coram coetu verba facturus, te non sine iustâ quadam anxietate inter auditores viderem; mox vero reficerer, ex te audiendo,

---

[1]) Cf. H. BOUMAN, *de Godgeleerdheid en hare beoefenaars in Nederland*. etc. Trai. 1862, p. 24—29.

[2]) SENECA, *in Praef. ad Nat. Quaest.* L. IV.

iuveniliter dicta tibi haud prorsus displicuisse. Felici, sub quo natus videor astro, sive ut melius dicam, divinae Providentiae hoc beneficium laetissimus tribuo, quod te seniore collegâ frui iam liceat, utinam et amici fiamus! — Amici nos fuimus a tenerâ iuventute Academicâ inde, Clarissime DOEDES, amici esse haud desivimus post tot annorum decursum. Meministine mecum dierum, quibus ardentissimam doctrinae Theologicae sitim coniunctim explere conabamur, meministine iuvenilium somniorum de vitâ theologicâ, litterariâ, vere vitali, ambobus prae omni aliâ tunc arridente? Quam multa postea accesserunt iucunda, molesta; exspectata, insperata; laetissima, tristia! Per quinque vero et quod excurrit lustra tuum vitae cursum cum meo perpetuo contextum iam video. Quod Deus ita coniunxit, hominum nemo separet, vir Amicissime! Sincerissimas accipe gratias pro omnibus, quae in me contulisti, fraternae amicitiae documentis, et antea, et imprimis postquam me huc vocatum videram. Tu animum meum erexisti, auxilium petenti haud defuisti, adventumque meum tibi gratum acceptumque fore multis modis iam comprobasti. Mira in nostro coelo constellatio, mihique certe gratissima! Mihi contigit te antea Roterodami recipere, ubi tibi antecesseram per triennium fere; nunc vero tu, ante triennium huc vocatus, Traiecti tuâ vice me recipis, nec recipis tantum, sed mecum etiam gaudes, ubi communis nostrae vitae circulum iam ad punctum unde exiït quasi redire videmus. Eheu, quare te conspicere hîc debeo, acerbissimo vulnere ictum? Sed infandum iure haesito renovare dolorem; hoc mihi Deus concedat, ut amicitiae manus tibi aliquid saltem solaminis offerat! Quid plura? Quam plurima iam communia habemus, utrique aeque carissima; quod vero alteri nostrûm privum propriumqum Deus concessit, valeat ad alterum acuendum, sustentandum, ut ita dicam supplendum. Si iuvenilibus nostris somniïs virilis aetas, Traiecti ad finem perducta, non longe dissimilis fit, optandum nil amplius habeo. Iungamus dextras fidemque, iungamus eas uterque et tecum, Clarissime TER HAAR, ut ita Triumviratum constituamus, de quo illud Ecclesiasticum valeat: triplicatum funem non facile solvi [1]); triumviratum cogito, cui communis in BOUMANNUM nostrum pietas, imprimis vero

[1]) Eccles. IV: 12.

communis Christi Ecclesiae, Theologiae, Academiae amor, quasi sepimentum sit atque indivulsum ligamen!

Nec vos insalutatos dimittere possum, Amici, quos vel Roterodami, vel hîc, vel alibi etiam iam diu cognovi, aut collegas, aut fautores, aut cognatos fratresque *κατὰ πνεῦμα* integerrimos, quique, quali erga me animo sitis, hac ipsâ horâ praesentiâ vestrâ monstratis. Quare inter vos KEMINKIUM, eheu, desidero, maturâ morte Reipublicae litterarum, amicis, mihi quoque ereptum? Quis desiderio sit pudor aut modus tam cari capitis? Multis ille bonis flebilis occidit, nulli autem flebilior, quam tibi, DOEDESI! Quo magis mihi gratulor, tot alios superstites, imo hîc praesentes videns, quorum amicitiae documenta, et antea et recentissimo tempore in me praestita, imis meis infixa manent medullis. Pergite, Viri coniunctissimi, amicum amore vestro, imprimis vero votis atque precibus persequi, ipsique iunioribus, quod iam estis, maneatis exempla quibus appareat, germanos Theologos atque homines Christianos nequaquam scepticos esse!

Et ita tandem ad vos compellandos accedo, lectissimi Iuvenes, quos iam salutare liceat eiusdem almae matris mecum gratissimos filios! Nullus inter vos cui non, si forte possim, sincere prodesse cupiam; me recipitote igitur, quaeso, tanquam virum, propriae iuventutis nequaquam oblitum, vestramque ita amantem, ut de vobis, patriae atque Ecclesiae spe, iam optima quaeque exspectet. Quod vobis prae caeteris dictum sit, futuri Theologi, quos iam nanciscor auditores, discipulos, spero et amicos ac commilitones! Omnino *commilitones*, nam militandum erit et vobis et mihi, quum difficillimo tempore sanctam in Theologiam iunctis viribus incumbamus. Quonam animo quoque Duce equidem hanc palaestram ingrediar, oratione meâ et vos audivistis. Hoc unum addere liceat, mihi prae omnibus Evangelii placitis summum illud praeceptum de mutuo amore placere, qui utinam olim aliquando theologicum excipiat odium, imo illud BUCERI aliorumque mihi vitae symbolum esse: *neminem condemno, in quo aliquid Christi reperio.* Talem igitur me habeatis velim, qui, quod ipse profecit diuturnâ experientiâ sanctissimi muneris, id totum in vestrum emolumentum convertere, neque scholis tantum, sed familiari etiam commercio vobis prodesse aliosque docendo ipse quotidie discere cupiat. Quid-

quid vero de me iudicetis et exspectetis — et fuerunt inter vos, qui scriptis aut ore honorificam de me sententiam mihi significarent, quibus gratias ago quam maximas — hoc omnes teneatis, Amici, me nil prorsus de me ipso, omnia vero ab hoc Patre exspectare in Christo, qui me nunquam, imo nunquam solum reliquit, Cuique unice acceptum id refero, quod, post varios casus et tot discrimina rerum, profiteri cum Apostolo possim: ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης ἕστηκα! Si autem Deus nobiscum, quis contra nos erit? Illius igitur auxilio potentissimo fretus, in nomine Iesu Christi, Ecclesiae Domini, designatum munus suscipio. Illi communia nostra studia, Illi Academiae, Ecclesiae, Patriae salutem confidimus, dum pie precamur: Sol Iustitiae, illustra nos! Ita omnia studia nostra Illius promoveant gloriam; ita augeatur in dies, et floreat in aeternum Musarum haec pulcerrima sedes!

DIXI.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE AB EXACTIS FERIIS AESTIVIS ANNI CIƆIƆCCCLXII USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLXIII,

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

GOZEWINO IANO LONCQ, CORN. IAN. FIL.

IN FACULTATE MEDICA.

Physiologiam docebit F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora X, die Martis, hora IX.

Histologiam exponet F. C. DONDERS, die Martis, hora XI, die Iovis, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Materiem medicam et praecipua *Therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, die Lunae, hora II, diebus Mercurii et Veneris, hora IX.

Pathologiam et Therapiam specialem tradet G. I. LONCQ, die Lunae, hora VIII, diebus Martis et Iovis, hora IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Exercitationes policlinicas in arte chirurgica et *ophthalmiatrica*, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, hora IX; *clinicas*, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora X, moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione, praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die Saturni, hora VIII.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I; morbos puerperarum et neonatorum, die Iovis, hora VIII.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, die Lunae, hora XII—II, die Veneris, hora I, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas in ophthalmiatria* moderabitur F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II.

Lectiones anatomicae et pathologicae deinceps indicabuntur.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora I.

Mechanicam analyticam tradet R. VAN REES, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XI.

Chemiam anorganicam docebit G. I. MULDER, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII.

Chemiam organicam docebit G. I. MULDER, diebus Iovis et Veneris, hora XII.

Chemiam practicam exponet G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio chemico.

Chemiam physiologicam tradet G. I. MULDER, die Saturni, hora X.

Chemiam pharmaceuticam tradet G. I. MULDER, diebus Iovis et Veneris, hora X.

Zoologiam exponet P. HARTING, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI, die Martis, hora X.

Anatomiam, Physiologiam et Histologiam comparatam tradet P. HARTING, diebus Martis et Iovis, hora II.

Palaeontologiam docebit P. HARTING, hora postea indicanda.

Introitum in studium rerum naturalium, aliarum etiam facultatum studiosis destinatum, tradet P. HARTING, die Mercurii, hora pomeridiana VI dimidiata, vel alia auditoribus magis commoda.

Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeerit P. HARTING.

Geographiam physicam et Meteorologiam docebit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Iovis et Veneris, hora IX.

Algebram, Stereometriam et Trigonometriam sphaericam tradet C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora VIII.

Calculum differentialem et integralem exponet C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XII.

Elementa Matheseos docebit M. HOEK, diebus Lunae et Saturni, hora IX, diebus Mercurii et Iovis, hora VIII.

Astronomiam popularem exponet M. HOEK, die Lunae, hora X, die Iovis, hora IX.

Astronomiam theoreticam tradet M. HOEK, diebus Martis et Mercurii, hora IX.

Astronomiam practicam tradet M. HOEK, die Veneris, hora XII et I.

Artis observandi exercitiis quotidie praeerit M. HOEK.

Botanicam generalem docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora X, die Martis, hora XI.

Physiologiam plantarum tradet F. A. G. MIQUEL, die Veneris, hora XI. Idem exercitationibus phytotomicis praeerit horis deinde indicandis.

Plantarum officinalium historiam exponet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora III.

Oeconomiam ruralem docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora X.

Mineralogiam et Geologiam tradet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora II.

Physiographiam generalem coloniarum indo-orientalium exponere paratus est F. A. G. MIQUEL, hora auditoribus commoda.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, quamquam ob aetatem rude donatus, civibus tamen academicis, quantum licebit, prodesse conabitur.

Chemiae experimentalis et *theoreticae* partem, quae a Chemiae Professore non traditur, docere paratus est I. W. GUNNING, Chemiae Lector.

Hygienae publicae capita selecta tractabit I. W. GUNNING, hora pomeridiana auditoribus commoda.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Theologiam dogmaticam docere perget H. E. VINKE, diebus Lunae et Martis, hora X, die Mercurii, hora XI.

Theologiam biblicam Novi Foederis tradere perget H. E. VINKE, die Iovis, hora XII.

Theologiam practicam, praesertim *Homileticen*, tradet H. E. VINKE, diebus Lunae et Martis, hora XI, die Mercurii, hora XII.

Historiam librorum Novi Foederis sive *Introitum in Novum Foedus* tradet B. TER HAAR, die Lunae, hora IX.

Ethicam Christianam docebit B. TER HAAR, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Historiam Ecclesiae Christianae enarrabit B. TER HAAR, diebus Mercurii et Iovis, hora X, die Veneris, hora IX.

Exercitationes oratorias moderabitur B. TER HAAR, die Veneris, hora X.

Disputandi copiam dabit B. TER HAAR, hora et sibi et auditoribus commoda.

Encyclopaediam Theologiae tradet I. I. DOEDES, die Mercurii, hora II.

Philosophiam de Deo s. Theologiam naturalem tradere perget I. I. DOEDES, die Lunae, hora I, die Martis, hora XII, die Iovis, hora XI.

Criticen textus librorum Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, die Lunae, hora II.

Exegesin librorum Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, interpretando *Pauli epistolae ad Romanos et prioris ad Corinthios capita selecta*, diebus Martis et Mercurii, hora I.

Puerorum doctrinae Christianae initiis erudiendorum exercitationem instituet I. I. DOEDES, die Martis, hora II.

Exegesin Veteris Foederis tradet H. C. MILLIES, interpretandis nonnullis Iesaïae vaticiniis, die Iovis et Veneris, hora XI.

Commilitonibus *orationes sacras* habentibus praesides aderunt H. E. VINKE, B. TER HAAR et I. I. DOEDES, diebus et horis tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

H. BOUMAN munere quidem acadèmico defunctus est ac rude donatus, sed Theologiae tamen Studiosis quantumpote prodesse conabitur.

IN FACULTATE IURIDICA.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XI.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER, diebus Lunae et Veneris, hora I, die Iovis, hora X.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus Martis, Mercurii Iovis, hora I.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Leges Imperii patrias cum fundamentales, tum secundarias interpretabitur G. G. VREEDE, diebus Lunae et Martis, hora VIII, Mercurii, hora I.

Ius Gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, diebus Martis et Saturni, hora X.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die Iovis, hora X, die Veneris, hora I, die Saturni, hora VIII.

Ius civile Nederlandicum docebit I. A. FRUIN, diebus Lunae et Mercurii, hora IX, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora X.

Ius mercatorium et maritimum exponet I. A. FRUIN, diebus Lunae et Mercurii, hora X, die Veneris, hora IX.

Legem Iudiciorum privatorum explicabit I. A. FRUIN, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora IX.

Exercitiis forensibus praeerit I. A. FRUIN, alternis Mercurii diebus, hora vespertina VII.

Oeconomiam politicam docebit O. VAN REES, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XII.

Statisticam explicabit O. VAN REES, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora XII.

Historiam Europae politicam tradet O. VAN REES, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora I.

Vectigalium ac tributorum rationem, qualis hodie in patria nostra obtinet, exponet et diiudicabit O. VAN REES, die Lunae, hora II aliave auditoribus commoda.

Publicis disputandi exercitiis praeerunt Iuris Professores, alternis hebdomadibus, hora deinde indicanda.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora II.

Metaphysica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

Philosophiae Graecae historiam ante Platonem exponet C. G. OPZOOMER, die Lunae, hora II.

Literas Graecas docebit S. KARSTEN, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora XI, tractando Platonis *Phaedonem*, Homeri *Iliados* XXII, Theocriti *Idyllia*.

Literas Latinas docebit S. KARSTEN, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora XII, interpretando Ciceronis *Oratorem*, Horatii *Satiras*, Tibulli *Elegias*. Idem die Lunae, hora XI, *Historiam literariam* tractabit.

Antiquitates Graecas tradet S. KARSTEN, diebus Lunae et Mercurii, hora XII.

Antiquitates Romanas exponet I. A. C. ROVERS, die Martis, hora IX et X, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Historiam Gentium enarrabit I. A. C. ROVERS, die Martis, hora I, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Literas Hebraicas docebit H. C. MILLIES, tum Grammatica explicanda, tum parte libri Iudicum legenda, die Martis, hora X, die Iovis, hora I, die Veneris, hora IX.

Literarum Arabicarum initia tradet H. C. MILLIES, diebus Mercurii et Veneris, hora XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit H. C. MILLIES, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Locos selectos Scriptorum Arabicorum, Chaldaeorum et Syriacorum cum provectioribus leget H. C. MILLIES, die Mercurii, hora V.

Rationem linguae patriae tradet G. G. BRILL, die Lunae, hora I, die Martis, hora II, die Saturni, hora XI.

Historiam patriae enarrabit G. G. BRILL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Historiam literarum patriarum exponet G. G. BRILL, diebus et horis auditoribus commodis.

Institutiones paedagogicas habebit S. KARSTEN, die Mercurii, hora XI, die Saturni, hora IX, interpretando Pindari *Odas* et Plauti *Captivos.*

Disputandi exercitationes alternis hebdomadibus, die Lunae, hora I, instituendas moderabuntur S. KARSTEN et I. A. C. ROVERS.

A. C. OUDEMANS docebit *Chemiam theoreticam*, die Saturni, hora IX.

A. C. OUDEMANS docebit *Chemiam analyticam*, diebus Lunae et Martis, hora X.

A. C. OUDEMANS docebit *Chemiam forensem*, die Mercurii, hora IX.

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, e *Literis Germanicis* tum Goethii tragoediam, quae *Faust* inscribitur, tum eiusdem et Schilleri selecta carmina interpretabitur; *Literarum Germanicarum historiam* imprimis inde a saeculo XVIII exponet.

I. VENNING, Literarum Anglicarum Lector, *Literas Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum Lector, *Literas Francicas* docebit diebus et horis auditoribus commodis.

Bibliotheca Academica diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, ab hora XII ad IV, feriarum autem tempore singulis diebus Lunae et Iovis, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum zoologicum et mineralogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXII.

In	Facultate	Medica	65.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	15.
〃	〃	Theologica	196.
〃	〃	Iuridica	181.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	16.
			473.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hi c publice progressus probent et Doctores creentur, quorum,

In	Facultate	Medica	4.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	1.
〃	〃	Theologica	4.
〃	〃	Iuridica	12.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	—
			21.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

A. DIE XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXII AD DIEM XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXIII.

IN FACULTATE MEDICA.

D. 12 m. Apr. ARNOLDUS HERMANNUS KUYPER, e pago Soest, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

〃 30 〃 〃 PETRUS TEMPLEMAN VAN DER HOEVEN, Rheno-Traiectinus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

〃 10 〃 Maii FRIDERICUS REINHARDUS WESTHOFF, Noviomagensis, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

〃 12 〃 〃 GERARDUS PETRUS VAN TIENHOVEN, e pago de Werken, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

〃 22 〃 〃 ANDREAS DONCAN, ex oppido Purmerend, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

〃 26 〃 〃 EDUARDUS ARNOLDUS PETRUS VAN DEN BOGAERT, Sylvaducensis, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 5 m. Iulii CORNELIUS IACOBUS SNIJDERS, Medioburgensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Eclampsia Gravidarum, met opvolgende ziektetoestanden in het kraambed. Beschouwingen naar aanleiding eener pathologische waarneming*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

〃 5 〃 〃 ADOLPHUS WINANDUS ANTONIUS ELLERBECK, ex pago Eybergen, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Over prosopalgia Tothergillii*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

〃 5 〃 〃 IACOBUS HENRICUS DE HAAS, Roterodamensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Geschiedkundig onderzoek omtrent de hypermetropie en hare gevolgen*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

〃 27 〃 Sept. IANUS VROESOM DE HAAN IR., Roterodamensis, privatim defenso Specimine, cui titulus, *Onderzoekingen naar den invloed van den leeftijd op de gezigtsscherpte*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

〃 27 〃 〃 EVERARDUS LINDEBOOM, e pago Dalfsen, defenso Specimine, cui titulus: *Over de eigenwarmte in koorts*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

〃 20 〃 Oct. FREDERICUS PHILIPPUS KÜTHE, Amstelodamensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *magna cum laude.*

〃 19 〃 Ian. FREDERICUS PHILIPPUS KÜTHE, Amstelodamensis, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

〃 10 〃 Febr. IOHANNES PETRUS LOONEN, e pago Gilze, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Over de Cestoiden van den mensch en hunne bestrijding*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

〃 21 〃 〃 RUDOLPHUS THEODORUS HART, e pago Nieuwer-Amstel, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus. Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

〃 21 〃 Martii DANIEL DE BRUYN, e pago Vreeland, defenso Specimine, cui titulus: *Over de voeding in ontstekingsziekten en koortsen*, Medicinae Doctor.

D. 24m. Martii HENRICUS GERARDUS CHRISTOPHILUS VAN BAERLE, Haganus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

〃 26 〃 Iunii ANDREAS GUILIELMUS BRONSVELD, Harderovicenus, publice defenso Specimine, cui titulus: *Oorzaken der verbreiding van het Rationalisme in ons land, sinds de laatste jaren der vorige eeuw*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 24 〃 Martii IOHANNES ELBERTUS DIBBITS, Rheno-Traiectinus, publice defenso Specimine, cui titulus: *Herder als theoloog, inzonderheid als verklaarder van den Bijbel*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

〃 11 〃 Apr. ADRIANUS IODOCUS VAN DEINSE, Gusanus, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

〃 21 〃 Maii GERARDUS WICHERLINCK, Almeloënsis, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

〃 16 〃 Iunii ANNIUS IACOBUS MATTHEUS AUGUSTUS BOL, Amboinensis, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude.*

〃 27 〃 〃 IOHANNES CORNELIUS VERHOEFF, Rheno-Traiectinus, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Iets over beurzen van koophandel*, Iuris Romani et Hodierni Doctor.

〃 27 〃 〃 ANTONIUS CORNELIUS LAGERWEY, ex pago Hoevelaken, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Het accoord van den gefailleerde met zijne schuldeischers*, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

D. 28 m. Iunii ADRIANUS IOHANNES ABBEMA, Bredanus, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude.*

" 30 " Sept. PETRUS MATHAEUS BEELAERTS, Dordracenus, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor.

" 15 " Oct. SAMUEL IOHANNES VAN LIMBURG STIRUM, e pago Kollum Frisius, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Over erkenning en wettiging van natuurlijke kinderen*, Iuris Romani et Hodierni Doctor.

" 17 " " ADRIANUS DANIEL VAN RIEMSDYK, Mosa-Traiectinus, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude.*

" 28 " " SALOMO MANUS ABRAHAMUS DU MOSCH, Hornanus, privatim defenso Specimine, cui titulus: *De onderteekening der notariële Acten door de comparanten*, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude.*

" 27 " Nov. AENEAS MACKAY, Noviomagensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *De uitsluiting van geestelijken en bedienaren van de godsdienst uit de volksvertegenwoordiging volgens art.* 91 *der grondwet*, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

" 22 " Ian. MARINUS CROMMELIN, Amstelodamensis, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude.*

" 28 " " HENRICUS IOHANNES MICHAELIS LAURENTIUS DAVELAER VAN DE SPIEGEL, Arnhemiensis, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor.

" 12 " Febr. MARTINUS HERMANNUS FREDERICUS HENRICUS VAN BUREN, Roterodamensis, privatim defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor.

" 27 " " CORNELIUS IOHANNES SCHOKKER, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, cui titulus: *Eenige opmerkingen over de verzekering tegen de gevaren ter zee volgens het Nederlandsch Wetboek van Koophandel*, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude.*

D. 5 m. Martii THEODORUS STEPHANUS GUILIELMUS ARNTZ, Arnhemiensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Eenige opmerkingen over het Romeinsche Regt*, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude.*

〃 13 〃 〃 IOHANNES ALBERTUS SPENGLER, e pago Wassenaar, publice defenso Specimine, cui titulus: *De Nederlandsche Oost-Indische bezittingen onder het beheer van den Gouverneur-Generaal*, G. A. G. P. Baron VAN DER CAPELLEN, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

〃 24 〃 〃 PETRUS GUILIELMUS NICOLAUS MERKUS, Amstelodamensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Schets van het beheer der algemeene geldmiddelen in Nederland tot het jaar* 1810, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

〃 2 〃 Dec. ARNOLDUS HENRICUS HARTOG, e pago Valburg, privatim defenso Specimine, cui titulus: *de principiis eloquentiae e sententia Platonis*, Philosophiae Theoreticae Magister, Literarum Humaniorum Doctor, *cum laude.*

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. X OCTOBRIS CIↃIↃCCCLXII AD D. IX OCTOBRIS CIↃIↃCCCLXIII

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

EVERARDUS IANUS DIEST LORGION,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

GUILIELMUS JOSEPHUS ANDREAS JONCKBLOET.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE.
I. I. P. VALETON.
G. I. A. IONCKBLOET.
G. HECKER.
C. M. FRANCKEN.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. NIENHUIS, Prof. emeritus.
I. H. PHILIPSE.
B. I. GRATAMA.
G. DIEPHUIS.
B. D. H. TELLEGEN.

IN FACULTATE MEDICA.

I. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
I. HISSINK IANSEN.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. G. ERMERINS.
N. MULDER.
G. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
G. MUURLING.
E. I. DIEST LORGION.



EVERARDI IANI DIEST LORGION

ORATIO

DE

THEOLOGIA CHRISTIANA AB AUCTORITATE PATRUM ECCLESIASTICORUM PRORSUS LIBERANDA,

HABITA

DIE VIII OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXIII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLEMNI RITU DEPONERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES. CUIUSCUNQUE ORDINIS ET LOCI, AUDITORES SPECTATISSIMI.

Primarium locum inter viros de Theologia Christiana optime meritos occupant procul dubio Patres Ecclesiastici. Eos intelligo viros, qui proximis post aevum Apostolicum saeculis usque ad saeculum nostrae aerae sextum Christianorum fuerunt duces, et scriptis, quae reliquerunt, inclaruerunt. Vulgarem hac in re sequor loquendi usum, penes quem est et ius et norma dicendi. Quamquam enim a Romano-Catholicis contenditur, proprie tantummodo eos Patres dicendos esse, „quos Ecclesia ipsa probavit, atque sinceros ac eruditos suae, seu potius Apostolicae et Christianae doctrinae testes, magistros et iudices esse declarat," inter quos v. c. non recensent TERTULLIANUM, CLEMENTEM ALEXANDRINUM, ORIGENEM, LACTANTIUM, EUSEBIUM, agnoscunt tamen, hos etiam et omnes Christianos scriptores, qui doctrina vel antiquitate conspicui fuerunt, *vulgo* Patres appellari, neque ipsi in tractanda Patrologia hos scriptores silentio praetereunt.

Quam plurima etiamnunc supersunt opera, a Patribus Ecclesiasticis composita, eaque, etsi non omnia eodem pretio aestimanda, dignissima quae a Theologis legantur atque explorentur. Limpidissimos illa opera esse fontes, e quibus cognitio hauriatur historiae Ecclesiae antiquae, nemo inficias ibit. Illos solos nos vera docere posse, de modo, quo multa illorum orta sint dogmatum, quae per tot saecula in Ecclesia valuerunt tanquam summa capita doctrinae Christianae et purissima expositio veritatis religiosae, nemo negabit. Perquam utilia esse illa scripta ad textum librorum Novi Testamenti, quantum fieri potest, in integrum restituendum, omnes agnoscunt. Neque tantum ut sciamus, quibusnam verbis usi sint scriptores horum librorum, sed etiam ut perspiciamus, quid illis verbis significare voluerint, omnino consulenda sunt Patrum scripta. Ad

illa insuper nos convertamus necesse est, quum indagare volumus quaestionem gravissimam de origine librorum Novi Testamenti, quandoquidem ex illis praecipue patere nobis debet, quaenam et qualia sint argumenta, quae externa dicuntur, de horum librorum authentia.

Has ob causas, quibus plura adiungi possunt, dolendum existimo, in Academiis nostris Theologiae studiosos non lege teneri, ut lectiones frequentent, quibus tractatur Patristica, quod iis, qui gradum petunt Doctoris Theologiae, magis prodesset, quam operam navare Oeconomiae rurali, imo omnibus Theologiae studiosis utilius forsan esset, quam lectiones audire de Metaphysica. Dolendum, opera Patrum Ecclesiasticorum non diligentius explorari, quam a plerisque Theologis fieri videtur. Quamquam immerito, ut opinor, MOEHLERUS in sua *Patrologia* ita loquitur, ac si Protestantes ratione habita Romano-Catholicorum studia Patristica valde neglexerint. Fuerunt enim et nunc etiam sunt inter illos fortasse haud pauciores quam inter hos, qui studiis illis admodum diligenter se dederunt, atque apud hos non minus quam apud illos bene multi invenientur Theologi, qui quid revera Patres docuerint plane ignorant.

Nolite tamen suspicari, auditores! me velle, Theologis nostra aetate nihil aliud esse faciendum, quam ut Patrum vestigia prement. Aliud est, quod cogito. Mihi enim persuasum est, Patres Ecclesiasticos adhuc multo maiorem, quam par est, vim habere in Theologiam Christianam. Quae persuasio orationis hac solemni opportunitate habendae mihi praebuit argumentum. Dicam enim *de Theologia Christiana ab auctoritate Patrum Ecclesiasticorum prorsus liberanda.*

Vos omnes, auditores exoptatissimi, benigno animo me audiatis!

Variae de Patrum Ecclesiasticorum auctoritate exstant sententiae. Non defuerunt, qui statuerent auctoritatem Patrum „cum auctoritate Prophetarum divinorumque Scriptorum esse comparandam, et post Ecclesiae approbationem ad unum usque iota fidem iis adhibendam esse." Huius sententiae auctor vulgo creditur abbas FREDEGISUS, qui vixit ineunte saeculo nono, quem secutus est glossator decreti GRATIANI, ut in institutionibus suis Patrologiae refert FESSLERUS. Paucos vero haec sententia, quippe auctoritatem Patrum nimis attollens, nacta est sectatores, vel inter Romano-Catho-

licos, caeterum statuentes, in expositione Sacrarum Litterarum communem omnium sanctorum veterum intelligentiam certissimum Theologo praestare argumentum ad Theologicas assertiones corroborandas, et contendentes, omnes Sanctos Patres simul in fidei dogmate errare non posse.

Tantam auctoritatem Protestantes numquam Patribus tribuerunt. LUTHERUS interdum de iis locutus est, ac si eos contemneret et pro nihilo duceret, BASILLUM nullius momenti hominem, HIERONYMUM hominem nullius iudicii vel diligentiae, haereticum, corruptorem totius Euangelii, CHRYSOSTOMUM garrulum appellans. Acerbo et iniquo huic iudicio minime Protestantes omnes subscripsere. Contra, in Libris symbolicis honorifice mentionem fecerunt de Patrum operibus, etsi omnem iis auctoritatem denegantes. In *Formula concordiae* legimus, Patrum scripta Sacris Litteris nequaquam esse aequiparanda, sed universa illis ita esse subiicienda, ut non recipiantur nisi *testium* loco, qui doceant, qua ratione post Apostolorum tempora et in quibus partibus orbis doctrina illa Prophetarum et Apostolorum sincerior conservata sit. *Belgica Confessio* statuit, cum Divinis Scripturis nulla alia hominum, quantavis sanctitate praeditorum, scripta, nullam consuetudinem nec multitudinem ullam, nec antiquitatem, neque temporum praescriptionem, neque personarum successionem, neque concilia ulla, nulla denique hominum decreta aut statuta conferenda comparandave esse. Memoratu imprimis digna, quae leguntur in *Confessione Helvetica*, scilicet haec verba: „Non aspernamur Sanctorum Patrum Graecorum Latinorumque interpretationes neque reprobamus eorundem disputationes ac tractationes rerum sacrarum cum Scripturis consentientes, a quibus tamen recedimus modeste, quando aliena a Scripturis aut his contraria adferre deprehenduntur.... Eodem in ordine collocantur etiam conciliorum definitiones vel canones."

Sed rogaverit forte quis: „Cur tu igitur, haec si ita sunt, verba facere vis de Theologia Christiana ab auctoritate Patrum Ecclesiasticorum prorsus liberanda. Nonne supervacaneum est de argumento agere tam obsoleto deque re tam diu agnita?"

Concedo lubenter, me non loqui de re nova atque inaudita. Attamen monendum, Protestantes aeque ac Romano-Catholicos sibi non constitisse re factoque in iis, quae de Patrum auctoritate elocuti sunt. A Romano-

Catholicis scilicet, qui auctoritatem Patrum tantopere efferunt, variis temporibus dogmata sunt recepta, quae cum doctrina Patrum minime conveniunt: dogmata v. c. transsubstantiationis, Paparum infallibilitatis, Mariae immaculatae conceptionis, quae non tantum apud Patres non inveniuntur, sed etiam contraria sunt doctrinae in eorum scriptis obviae. Protestantes contra, quamquam auctoritatem Patrum negantes, illa auctoritate in multis duci se passi sunt. Testes sunt Reformatores ipsi, qui tanquam doctrinam Christianam genuinam receperunt, quae statuta sunt a conciliis oecumenicis, quarti potissimum et quinti saeculi. Et symbolum Athanasianum a Protestantibus saepe tanti factum est, ut ab eo recedere nefas videretur. Plures insuper inter Protestantes viri doctissimi saepius Patrum auctoritati cedendum opinati sunt. In memoriam revocate, quaeso, MELANCHTONEM, qui, ad defendendam LUTHERI sententiam de sacra coena contra ZWINGLIUM eiusque sectatores, libellum edidit, cui titulus: *Sententiae veterum aliquot scriptorum de coena Domini*, in quo plurima citantur loca ex operibus CYRILLI, CHRYSOSTOMI, THEOPHYLACTI, HILARII, CYPRIANI, IRENAEI, AMBROSII eo consilio, ut veritas LUTHERI sententiae vindicetur. Quum autem OECOLAMPADIUS huius libelli refutationem edidisset, in qua demonstratur, LUTHERI sententiam non convenire cum Patrum sententia, MELANCHTON horum scripta iterum coepit inquirere. Tunc intelligens, aliam esse Patrum doctrinam de sacra coena, aliam LUTHERI, sententiam mutavit et amici partes in eo certamine reliquit. Provocare etiam possum ad summum virum HUGONEM GROTIUM, sed quod inprimis ob oculos habeo, non hoc est, fuisse inter Protestantes, qui in suis disputationibus diserte ad Patrum auctoritatem appellarunt; verum id specto, multos contendere, illa dogmata, quae Ecclesia a primis inde saeculis credidit, firmiter esse tenenda. *Ecclesiam* dicunt, non quidem *Patres Ecclesiasticos*. Si autem rem bene consideramus, videbimus eodem redire, utrum *Ecclesiam* dicant, an vero *Patres*, quandoquidem Ecclesia iis temporibus, quibus dogmata illa statutá sunt, Patrum auctoritate ducebatur. Quod ab Ecclesia dicitur decretum, concilia decreverunt, in quibus Episcopi congregati erant, inter quos Patres eminebant. Praeterea, constat, quandam esse traditionem, a Patribus Ecclesiasticis originem repetentem, in interpretatione Sacrorum Librorum, traditionem exegeticam, ut dicunt, a qua recedere multi etiamnunc

haud concedendum esse putant. Et quantum his etiam temporibus valeat Patrum auctoritas in dirimenda quaestione de origine horum librorum, unicuique patebit inspicienti introductiones in Codicem Sacrum, in quibus videlicet haud raro ita Patrum effata citantur, ac si constituant normam, secundum quam hac de re iudicandum sit.

Constare idcirco mihi videtur, Theologiam Christianam nondum liberam esse ab auctoritate Patrum Ecclesiasticorum. A quorum auctoritate eam prorsus liberandam esse, nunc probare conabor.

Fundamentum Theologiae Christianae habendus est ipse Christus, qui igitur ante omnia cognosci debet. Ad hunc autem cognoscendum primo loco requiritur recta cognitio eorum, quae Christus eiusque Apostoli dixerunt vel scripserunt. Evolvendi ergo sunt libri Novi Testamenti, quippe qui soli censentur ab Apostolis vel eorum sectatoribus conscripti esse. Consulendum porro est Vetus Testamentum, quia doctrina Christi atque Apostolorum arcto cum hoc coniuncta est vinculo et magna pro parte ex hoc demum intelligi potest. Quid continent libri Veteris et Novi Testamenti? Quaenam in illis narrantur ac docentur? Interpretatione opus est, ut hoc sciamus. Sic Patres interpretum munere functi sunt. Num vero interpretatio, quae in eorum scriptis occurrit, talis est, ut in ea tuto possimus acquiescere? Quod ita esset, si probari posset, Patribus omnino auctoritatem adiudicandam esse in Theologia Christiana. Sed hoc iure affirmari nequaquam potest. Non tantum omnibus fere deërat peritia linguae Hebraeae et Hellenisticae, sed universe etiam allegoricam et mysticam interpretandi rationem sequebantur, adeoque alium e verbis Codicis Sacri, sensum eruebant quam ipsi scriptores voluerant. Omnes etiam hodie agnoscunt, Patres in Sacris Scripturis interpretandis a recta via saepissime aberrasse. Quod non temere me dicere, uno alterove exemplo ostendam. Ante hos septem annos laudator quidam acer patris Orthodoxiae, in diario Niedneri, dicato Theologiae historicae, disputationem scripsit eo consilio, ut patefieret quam eximie ATHANASIUS ille dogma, Dei Filium esse *ὁμοούσιον τῷ πατρί* contra Arianos defenderit. Confessus est exegeticam partem argumentationis ATHANASII minoris esse momenti, quia saepius textum Codicis Sacri non sumsit uti revera est, sed ei, ob rationes dogmaticas,

apologeticas vel polemicas vim intulit, ut eum torqueret in suum commodum. Operae pretium est audire et FESSLERUM, qui, verba faciens de auctoritate Patrum in expositione Sacrae Scripturae, licet affirmet „Catholicum interpretem teneri, Sacram Scripturam in rebus fidei et morum *iuxta unanimem consensum* Patrum accipere et interpretari," tamen declarat, „silentio haud esse praetermittendum, non tam opera Patrum exegetica, in quibus genio sui aevi indulgentes allegoriis captandis nimium quandoque intendebant, esse consulenda, sed opera dogmatica, moralia et polemica, in quibus sat frequenter scripturae loca, ex quibus dogmata fidei morumque probantur, luculenter tractant et solide exponunt." Verum enimvero, quo modo confidere possimus, Scripturae loca recte exponi a Patribus in operibus dogmaticis, moralibus, exegeticis, si opera eorum exegetica, opera igitur, in quibus consulto Scripturas interpretantur, nullam merentur fiduciam?

Si autem inspicimus opera illa dogmatica, moralia, polemica, videbimus, ibi quidem praeclara multa reperiri, sed etiam haud pauca, quae a mente Christi, uti et a sana ratione, prorsus aliena sunt quaeque minime fluxerunt ex Christo atque Apostolorum doctrina rite intellecta, sed potius ex philosophia Neoplatonica vel alio quodam fonte eiusmodi impuro, etiamsi nonnulla effata Christi et Apostolorum allegentur, ut speciem Christianae doctrinae prae se ferant. Unum hoc tantum memorare volo, nonnullos Patrum a coniugio, ut ait WALCHIUS, plane alienos esse, vehementer ac nonnumquam iniuriose adversus illud pugnare, vitam autem caelibem ac solitariam, perpetuam virginitatem ac continentiam summo studio commendare. AMBROSIUS e. g. matrimonium fere in rebus turpibus numeravit, et HIERONYMUS, qui non solum ore scriptisque, sed etiam proprio exemplo omnes ad vitam caelibem excitavit, solitariam vitam appellat perfectam, quum qui illam amplectantur curis rerum saeculi careant, tranquillitate animi fruantur, quae divina ac celestia sunt attente ac diligenter contemplentur, denique multam ea peragendi habeant opportunitatem, quae ad salutem sempiternam consequendam pertinent. Talia cum Christi doctrina atque agendi ratione minime congruere, Creatoris mundi proposito contraria esse, naturae leges frangere, et, si omnes secundum ea vitam instituerent, societatis humanae generisque adeo humani interitum effectura, solis luce clarius videtur.

Verum obiiciat quis fortasse, non omnes Patres eadem ratione de vita caelibe et solitaria loqui, adeoque non auctoritate pollere eos, qui hanc tantopere commendent, quum non quae a nonnullis dicta sint, sed ea solummodo, in quibus Patres consentiant, in rebus fidei et morum auctoritatem habeant certam et absolutam. Equidem, auditores, concedere haudquaquam possum, Patres singulos potuisse errare, imo „aliquos saltem errores maiores minoresve in eorum scriptis singulatim sumtis contineri, errores etiam contra fidem," sed eosdem, si inter se consentiant, omne semper periculum errandi evitasse. Sit vero ita! At quaero, in quibusnam rebus unanimus Patrum consensus deprehendatur? Docet nos ipse supra memoratus FESSLERUS, „raro admodum et paucissimis tantum in locis eiusmodi Patrum consensum" adesse. Quod verissimum est. Nedum in dogmate de Christi persona consensus unanimus apud Patres invenitur. In concilio Nicaeno, anno trecentesimo vigesimo quinto, decretum est Filium Dei esse *ὁμοούσιον τῷ πατρὶ*, et apud Patres Ecclesiasticos, qui postea vixerunt, occurrit ubivis doctrina, Filium in omnibus Deo Patri esse aequalem, hoc uno excepto, Filium esse genitum, Patrem vero ingenitum. Quod autem creberrime dictum est, inde ab initio, hanc totius Ecclesiae Christianae doctrinam fuisse eamque omnes Patres professos esse, cum veritate minime convenit. In concilio Antiochiae, anno ducentesimo sexagesimo nono habito, formula, Filium esse *ὁμοούσιον τῷ πατρί*, condemnata est, et ARIUS iure meritoque declarare potuit, quum in epistola ad ALEXANDRUM, episcopum Alexandriae, sententiam suam, Dei Filium non ab aeterno fuisse, sed initium vitae habuisse, defenderet, se credere, quod proavi credidissent. Nullibi in scriptis Patrum, qui ante concilium Nicaenum floruerunt, de Christo tanquam Deo aeterno et *ὁμοουσίῳ τῷ πατρί* sermo est; nullibi in illis docetur, Christum Deo Patri esse aequalem; sed ubivis Patres ante-Nicaeni de Christo loquuntur, tanquam in omnibus Deo Patri inferiori. Plurima quidem loca ex eorum scriptis citari possunt, in quibus Christus appellatur Deus, quae causa esse videtur, cur etiamnunc multi sibi persuasum habeant, de divina Christi natura eandem semper in Ecclesia sententiam valuisse, sed quonam sensu accipiendum sit, si Christus ab illis Patribus Deus vocetur, nos docet TERTULLIANUS, dicens, „deum commune vocabulum factum esse vitio erroris

humani, quatenus plures dei dicuntur atque creduntur in saeculo." Alio loco haec apud TERTULLIANUM leguntur: "Veritas autem sic unum Deum exigit, defendendo ut solius sit, quicquid ipsius est. Ita enim ipsius erit, si fuerit solius, et ex hoc alius deus non possit admitti, dum nemini licet de deo habere aliquid. Ergo, inquis, nec nos habemus dei aliquid. Immo habemus et habebimus, sed ab ipso, non a nobis. Nam et dei erimus, si meruerimus illi esse, de quibus praedicavit: Ego dixi, vos dii estis; et: Stabat Deus in ecclesia deorum; sed ex gratia ipsius, non ex nostra proprietate, quia ipse solus est, qui deos faciat." Videtis, auditores, nomine Dei, Christo datum, minime probari Deum aeternum cogitari. Et luculentius hoc etiam inde patet, quod TERTULLIANUS, qui et ipse hoc nomine saepius utitur, quum de Christo loquitur, diserte affirmat, Deum, "quia et pater Deus est et iudex Deus est, non tamen ideo patrem et iudicem semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus, cum ei delictum et filius non fuit, quod iudicem et qui patrem dominum faceret." Alibi etiam ita loquitur: "Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil aliud exstrinsecus praeter illum." Patres itaque antiquissimi de divina Christi natura non eadem docuerunt, quae apud seriores occurrunt, quod, ut hoc addam, etiam doctissimus ille ex ordine Iesuïtarum PETAVIUS confessus est, dicens, dogma de aeterna Christi deitate apud Patres ante seculum quartum non pure inveniri."

Quae quum ita sint, quum igitur de dogmate, quod per tot saeculorum decursum summi a Christianis habitum est momenti, minime consensus unanimus Patrum Ecclesiasticorum fuerit, dogma illud nequaquam recipiendum est propter auctoritatem Patrum. Quorunnam enim Patrum auctoritati nos subiiceremus? Tu recentiorum forte dicas. At ego superiorum. Nonne eodem iure ac tibi hoc mihi facere licet? Aut probare mihi debes, recentiores Patres rectius quam superiores Sacrum Codicem interpretatos esse atque hoc ita fecisse, ut in eorum interpretatione acquiescemdum sit: nam hoc dogma, quod mysterium vocatur, eo sensu, ut captum humanum longe superet, philosophice, argumentis e ratione humana petitis, velle demonstrare, absurdum est. Probare debes, Patres, qui statuerunt

Christum ab aeterno Deum esse, Deo Patri aequalem, hanc doctrinam superstruxisse locis Sacrae Scripturae rite explicatis. Hoc opus, hic labor est, opus autem, ut mihi videtur, haud perficiendum, labor sisyphicus. Quae enim iam dicta sunt de ratione perversa, qua Patres Codicem Sacrum exposuerunt, non minus valent de Patribus, qui post concilium Nicaenum, quam qui ante illud scripserunt. Praeterea multum differt, quin Patres illi seriores in expositione locorum Sacrae Scripturae inter se consentiant. Quod uno illustretur exemplo. Qui in litibus Arianis sententiam ARII defendebant inter alia etiam provocabant ad verba Christi, quae occurrunt in Evangelio Iohanneo, capite decimo quarto, commate vigesimo octavo: *ὅτι ὁ πατὴρ μείζων μου ἐστίν*. Audiamus quomodo varii Patres haec interpretati sint. ALEXANDER, Alexandriae episcopus, contendebat, Christum illis verbis voluisse significare, Patrem esse ingenitum, quum ipse genitus esset. Episcopi, qui Synodo Sardicensi, anno tricentesimo quadragesimo quinto interfuerunt, epistolam miserunt omnibus in orbe terrarum episcopis, in qua ita dicunt: „Confitemur deitatem Patris atque Filii unam eandemque esse. Et nemo negat Patrem maiorem esse Filio; non propter aliam hypostasin, neque propter aliam differentiam, sed quia nomen ipsum Patris maius est quam Filii." ATHANASIUS affirmat alio loco, Christum ita loqui ob eius nativitatem ex Patre, dicens: *μείζων εἶπεν, οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρός γέννησιν*; alio loco Christum hoc dicere quoad homo sit; ait enim: *καὶ ὅ τε λέγει, ὁ πατήρ μου, ὁ πέμψας με, μείζων μου ἐστίν, ἐπεὶ ἄνθρωπος γέγονεν μείζων αὐτου λέγει τόν πατέρα.* AUGUSTINUS eadem verba ita interpretatur, ac si Christus sic locutus sit ratione habita conditionis tenuis, qua hac in terra versabatur. BASILIUS et EPIPHANIUS illis verbis non indicatum vident, Filium se minorem Patre proponere, sed tantum Patri maiorem honorem competere. Alii aliter locum interpretati sunt. Omnes vero Patres orthodoxi, me quidem iudice, illum perverse interpretantur.

De aliis itidem dogmatibus ostendi possit, omnes Patres Ecclesiasticos minime inter se convenire, et eos saepius, ut illa verbis e Codice Sacro depromptis astruant, genuinam verborum significationem parum curasse. Longe a veritate aliena sunt, quae FESSLERUS audet iterare, Patres idem ipsum docere et praedicare; nec temporum discrimen, nec locorum diver-

sitatem eorum turbare consonantiam; sed lyrae similes esse; quae multas quidem et diversas chordas habeat, unum autem sonorum concentum efficiat. Imo, quam plurimi audiuntur accentus dissonantes haud raro prorsus alius quam Sacrae Scripturae soni.

Quae dixi, sat validas mihi videntur exhibere rationes, cur auctoritatem Patrum in Theologiae parte exegetica, morali, dogmatica reiiciamus. Ad unam praeterea Theologiae Christianae partem nunc animum attendamus; nempe, ad eam cuius argumentum est origo librorum Codicis Sacri quaeque historia critica librorum Veteris et Novi Testamenti vocari solet.

Gravissima sane est quaestio, quo tempore et a quibus scriptoribus hi libri confecti sint. Usque ad saeculi decimi octavi medium nemo fere aliam hac de re habuit opinionem, quam quae ab antiqua Ecclesia erat tradita. Superioris autem saeculi postremis decenniis multi dubitare coeperunt, praeëuntibus inprimis LESSINGIO ac SEMLERO, an traditio illa cum veritate esset consentanea. Et nostra aetate haud pauci exstiterunt, qui negandam esse authentiam plurimorum librorum et Veteris et Novi Testamenti opinati sunt. Alii vero acriter se iis opponunt, nonnulli etiam quod ad libros Veteris, plures tantum quod ad libros Novi Testamenti attinet. In his discidiis e scriptis Patrum Ecclesiasticorum a multis arma et munimenta petuntur, ad defendendam authentiam horum librorum. Sed admodum caute etiam hac in re Patribus illis uti oportet, et cavendum sedulo, ne Patrum testimoniis et opinionibus plus tribuatur, quam par est. Auctoritas saltem iis in dirimenda quaestione de origine Sacrarum Scripturarum concedi minime debet. Non dico, omnia quae testantur et opinantur falsa esse. Longe absit! Sed hoc volo, non ideo tanquam vera accipienda esse, quae de hac quaestione testati et opinati sunt, quia Patrum Ecclesiasticorum sunt testimonia et opiniones. Ponderanda potius quam numeranda eorum testimonia, opiniones acri examini subiiciendae. Ipsorum enim ingenium criticum multum relinquit desiderandum; minime vacui erant ab opinionibus praeoccupatis, et quae testantur, non omnia fide sunt digna, nam nimis saepe erant creduli. E magna copia argumentorum, quibus haec confirmare possim, quaedam tantum in medium proferam.

De origine librorum Veteris Testamenti apud Iudaeos, quo tempore orta

est Ecclesia Christiana, iam firmae inveniebantur opiniones. Patres de his minime examen instituerunt, sed eas tanquam veras acceperunt et propagarunt. Pentateuchi igitur auctorem MOSEN, IOSUAM libri eiusdem nominis auctorem habebant, et sic porro omnes libros iis adscribebant auctoribus, quibus traditio Iudaeorum. Sunt quidem adhuc nostris diebus inter Theologos Christianos, qui magna pro parte iis opinionibus adhaereant, et v. c. non tantum statuant, librum Ionae a IONA propheta conscriptum esse, sed etiam meram historicam narrationem continere, sed plerique eorum, qui historiae criticae librorum Veteris Testamenti operam navarunt, hodie in eo consentiunt, quod traditio illa Iudaica minime firmis nititur fundamentis. Neque quis, nisi maximopere fallor, inter eos hodie reperietur, qui non agnoscet, librum Koheleth nequaquam a SALOMONE rege esse conscriptum, quamquam et hoc olim ab omnibus credebatur. Et quantumvis differant etiamnunc de aliorum Veteris Testamenti librorum origine sententiae; ab unoquoque certe conceditur, auctoritatem Patrum Ecclesiasticorum non magis quam traditiones Iudaeorum, conducere ut de origine illorum monumentorum certiores fiamus, sed opus esse accurata disquisitione, ab auctoritate Patrum prorsus libera.

Num vero idem etiam valet de libris Novi Testamenti? Nonne de eorum origine testimonia atque opiniones Patrum, quippe qui vixerunt eo ipso tempore, quo illi libri collecti sunt et eorum canon constitutus est, absoluta pollere auctoritate censenda sunt? Multa obstant, auditores, quo minus assentiri possim. Nimirum Patres in illa quaestione diiudicanda etiam traditionem praesertim sequebantur, traditionem scilicet, quae in Ecclesia Christiana eorum iam aetate circumferebatur. Non ita vetusta erat haec traditio et inquinata ac Iudaeorum traditio de libris Veteris Testamenti. Certa eius vestigia, saltem quod ad maiorem partem librorum Novi Testamenti attinet, demum animadvertuntur post annum centesimum septuagesimum. Ita vetusta igitur erat, ut corrupta esse posset. Praeterea, Christianos iis temporibus facile errasse in aestimatione Librorum Sacrorum, iam inde patet, quod in horum numerum etiam retulerunt Epistolas BARNABAE et CLEMENTIS Romani, et HERMAE librum, qui Pastor inscribitur, quo honore eos indignos esse, hodie omnes agnoscunt. Certo certius est, Patres Ecclesiasticos etiam quaedam scripta authen-

tica habuisse, quae spuria esse, his diebus omnibus persuasum est. Qua de re luculentum exemplum habemus in iis, quae pater historiae Ecclesiasticae refert de epistola quadam. Testatur EUSEBIUS, ABGARUM, regem Edessae, quum gravi morbo quique humana ope curari non posset, consumeretur, simulatque de Christi nomine ubique diffuso ac de stupendis eius miraculis, quae omnium testimonio firmarentur, acceperit, missis per tabellarium litteris, supplicem eum rogasse, ut se morbo liberaret; Christum autem tunc quidem vocanti minime esse obsecutum, litteras tamen ad eum scribere non recusasse, quibus unum e discipulis suis, qui ipsum sanaret, polliceretur, neque ipsi solum, sed omnibus propinquis et familiaribus salutem praestiturum; hoc revera postea factum esse; THADDAEUM, unum e septuaginta Christi discipulorum numero, a THOMA Apostolo, post Christi decessum, missum esse Edessam, et regem manu THADDAEI ei imposita statim morbo et aegritudine, qua laboraret, esse liberatum. EUSEBIUS autem non tantum testatur, Christum non recusasse litteras ad ABGARUM scribere, sed etiam epistolam a Christo regi missam exhibet. Cuius verba haec sunt:

„Beatus es, qui in me credideris, quem non vidisti. De me enim scriptum est, eos, qui me viderint, non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam accipiant. Quod vero ad me scribis, ut ad te proficiscar, hic necesse habeo omnia implere propter quae sum missus, iisque demum absolutis, ad illum, qui me misit, reverti. Caeterum quam primum ad eum me recepero, ex discipulis meis aliquem ad te mittam, qui et morbum tuum curet et vitam tibi tuisque praestet." En igitur epistolam ipsius Christi, qui vulgo creditur nihil scripti reliquisse. Eius authentiam vero, quamquam ante hos viginti annos a RINCKIO defensam, omnes reiiciunt, et quidem iure, ut opinor. EUSEBIUS autem de ea minime dubitavit. Reperiebatur enim haec epistola Edessae in monumentis publicis, in quibus antiquitates urbis et res ABGARI gestae continebantur, et ipse eam ex archivis depromptam e Syrorum lingua transtulit. Neque EUSEBIUS tantum hanc epistolam authenticam habet, sed universa Ecclesia in Oriente.

Huic igitur testimonio EUSEBII eiusque opinioni confidere non possumus. Non dubitandum quidem est, an revera epistola in archivis Edessae asservata fuerit, nam in iis, quae narrat, eatenus fide dignus est EUSEBIUS,

quatenus ea ipse invenit, legit vel audivit; sed ipsa haec saepe fidem non merentur et omnino accuratae investigatione subiicienda sunt.

De iis, quae initio orationis dixi, nihil retractum volo. Opera Patrum Theologis perutilia sunt, dignissima, quae diligenter legantur. Auctoritas autem Patribus in Theologia Christiana nulla tribuenda est, haec igitur prorsus ab illa liberanda!

Officium mihi incumbit breviter enarrandi, quae me rectore Academiae fata fuerint.

Laetamur, ex amplissimo Curatorum collegio neminem morte esse abreptum. Mutationem tamen aliquam subiit hoc collegium, quandoquidem Regi Augustissimo placuit, virum gravissimum IOHANNEM SLOT, huius urbis consulem et qua talem Academiae Curatorem, honorifice dimittere et in eius locum substituere virum consultissimum GUILIELMUM DE SITTER. Iucundum nobis accidisse, munus illud grave et splendidum tibi delatum esse, et his sollemnibus iterum affirmare mihi liceat, vir amplissime, quem diu litterarum cognovimus amantem. Ardorem etiam novimus, quo singula, quae tibi mandantur, aggrederis, prudentiam, qua in agendo versaris, constantiam, qua omnia ad finem perducis. Fidenter exspectamus, te huius ipsius Academiae, cuius iam curator es, alumnum, una cum collegis amplissimis saluti et gloriae almae nostrae matris inservire velle. Faxit Deus, ut diu huic urbi praesis et Academiae curam geras!

In professorum ordine duos desideramus viros clarissimos, HENRICUM NIENHUIS et FREDERICUM CHRISTIANUM DE GREUVE, quorum uterque iam rude donatus erat, quum morte afferretur. De eorum igitur vita ac meritis in litteris colendis breviter dicendum est.

Natus est HENRICUS NIENHUIS in pago huic urbi vicino Ten Boer, ubi pater verbi divini ministri munere fungebatur, anno millesimo septingentesimo nonagesimo, die duodecimo mensis Februarii. Circiter octo annos natus, ad gymnasium Groninganum missus est ibique prima litterarum Latinarum et Graecarum elementa didicit. Post obitum patris, qui munere abdicato Groningam migraverat, — quum mater ei iam prius morte esset erepta — sexennium degit in domo IANI RUDOLFI VAN EERDE, tunc

Gymnasii hac in urbe conrectoris, quod ad institutionem in litteris classicis haud parum ei profuit. Anno millesimo octingentesimo sexto ad nostram Academiam accessit. Per triennium humanioribus litteris, mathematicis studiis, philosophiae operam dedit. Physicam etiam plantarum et zoölogiam studuit. Per reliquum curriculi academici spatium iuris studio se dedit. Audivit viros clarissimos, iuris professores, SEERPIUM GRATAMA, ALBERTUM IACOBUM DUYMAER VAN TWIST, CAROLUM CHRISTIANUM PAEHLIG, quibus eximiis magistris carus fuit discipulus. Die vigesimo quinto mensis Aprilis anni huius saeculi duodecimi iuris utriusque doctor renunciatus est defensa publicè dissertatione iuridica *ad locum iuris Napoleonei de divortio.* Quantam iam tunc sui exspectationem excitavisset, inde concludere licet, quod uno nondum anno praeterito adscriptus est societati *Pro excolendo Iure patrio*, in qua societate dein plurima exhibuit doctrinae specimina. Praecipue autem, postquam iuris doctor creatus est, animum admovit ad tractanda negotia forensia, in primis apud tribunal primae instantiae in urbe nostra, in quo tribunali etiam anno saeculi vigesimo secundo iudex vicarius electus est. Sequenti anno, quum ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS, qui post obitum viri clarissimi VAN TWIST huic successit, hinc profectus esset ad Academiam Lovaniensem, NIENHUIS eius munus sibi oblatum vidit idque haud recusandum putavit, etsi felici omnino successu negotia forensia tractabat, quod ipse testatus est, quum die sexto Octobris anni millesimi octingentesimi vigesimi tertii munus professoris, auspicaretur, habita oratione inaugurali: *De processus civilis ratione, quam theoriam appellant processus civilis, praxeos iudiciariae procreatrice et quasi parente, nimis neglecta.* In hac oratione, urbem nostram attingens, ait: „Cuius cives per decem et quod excurrit annos in foro versanti tanta mihi praebuerunt propitiae existimationis et benevolentiae testimonia, ut ingrati sit, accepta illa non referre et vero publice profiteri." Magno quoque applausu professoris munere functus est. Egregiam eius docendi methodum quam plurimi discipuli, inter quos plures inveniuntur, qui ad summos honoris gradus in republica atque in iurisprudentia pervenerunt, grato animo recordantur. Variis praeterea etiam functus est muneribus in commodum non tantum Academiae, sed et totius societatis. Neque ei defuerunt testimonia honorificentissima, de quibus autem minime gloriari solebat, nam inter plurimas, quibus ornatus

erat virtutes, modestia primum fortasse locum occupabat. Usque ad annum quinquagesimum quartum huius saeculi plurimis suis officiis fungi poterat quamquam iam tunc non amplius bona valetudine gaudebat. Sed ab hoc inde anno vires ei deficere coeperunt, vires corporis non tantum, sed et mentis. Quo factum est, ut anno quinquagesimo octavo rude donatus sit. Inter vivos numerabatur, etiamsi vivere vix dici posset, usque ad diem vigesimum octavum Novembris anni superioris, quo die ultima eius vitae scintilla extincta est. Sit illi bene!

Aliquot menses post clarissimus DE GREUVE diem obiit supremum. Natus erat Amstelodami die sexto Decembris anni millesimi septingentesimi duodecimi. Parentes, qui religioni Romano-Catholicae erant addicti, iam in eius pueritia eum clericum aliquando futurum statuebant. Primis studiorum classicorum elementis imbutus est in Gymnasio urbis patriae. Huius saeculi anno undecimo ad universitatem Catholicam in urbe Germaniae Monasterio se contulit, ubi tunc clarissimus HERMES Theologiam dogmaticam docebat. Sequenti anno ab illa universitate discedere debuit, ut scilicet in seminario Warmondensi postremam acciperet ad ordinem clericalem institutionem. Negotiis familiaribus vero impeditus est, quo minus ibi studiorum metam attingeret. Mox ei contigit Romam adire ibique studia ad finem perducere. In patriam redux, capellanus factus est, primum Amstelodami, dein Groningae, postea Ultraiecti. Hac in urbe in primis magnam sibi acquisivit eloquentiae famam. Multi propterea ecclesiae Romano-Catholicae socii Ultraiectenses sperabant fore, ut apud eos pastor eligeretur. Sperabat et ipse; sed spes eos fefellit. Visum est eius superioribus, virum, apud multos iam clarum, quippe doctum et eloquentem, sed liberalem etiam, in exiguum pagum Neodamum mittere, ubi anno millesimo octingentesimo vigesimo quinto pastor factus est. Eodem autem anno a rege GUILIELMO I Lovanium vocatus est ad munus professoris apud collegium philosophicum, illo anno ibi erectum, auspicandum. Quod collegium ipse inauguravit habita oratione *de fructibus saluberrimis ab hoc collegio exspectandis*. Docebat ibi historiam universalem et historiam philosophiae usque ad annum huius saeculi trigesimum, quum Belgarum seditio eum cogeret inde migrare. Sequenti anno nostrae Academiae adiunctus est. Hic primum logicam et historiam philosophiae,

deinde etiam, postquam clarissimus CORNELIUS DE WAAL rude donatus est, metaphysicam docebat. Anno superiore exeunte ipse ob aetatem septuagenariam rude donatus est. Tunc iam aegrotans, revalescere ei non est datum. Die vicesimo nono mensis Aprilis huius anni diem obiit supremum. — Varia DE GREUVE edidit scripta, quae non tantum eruditionis testimonia praebent, sed et ingenii liberi, quod eum habuisse etiam testatur eius ad Protestantes transitus. Quanta doctrinae laude esset insignis inde patet, quod unus e paucis fuit, qui quum Academia regia scientiarum erigeretur, ei adscripti sunt. Vir fuit bonus et mansuetus, collegis et studiosis benevolus. Requiescat in pace!

Successor ei datus est vir clarissimus VAN DER WYCK. Tibi, collega aestumatissime, tot tantaque hoc anno contigerunt bona, ut nullo modo tibi gratulari possim, prout rerum momenta postulant. Annus, tam feliciter inchoatus et huc usque perductus, te ante finem feliciorem etiam videat, eique succedat longa series annorum, quibus tu una cum tuis optimis fruaris beneficiis et Academiae nostrae sis ornamento ac decori.

Quantum differunt fata anni praeteriti quorundam collegarum, qui tristissima perpessi sunt! Vobiscum, qui luctu affecti fuistis et etiamnunc estis, doluimus et dolemus. Sed vestrum nunc renovare dolorem nolumus. Optemus potius, sequentem annum feliciorem vobis futurum et vulnera, quibus afflicti estis, saniturum.

